Comitatus

Castrodunensis

Grains Production

COMPENDIUM OPERIS DE STUDIOSO BIBLIORUM

AD OPPORTUNITATEM CAUSÆ

VENERABILIS SERVI DEI

GREGORII LOPEZ

EXARATUM

A REVERENDISSIMO PATRE

FR. BERNARDINO MEMBRIVE

Congregationis Sacrorum Rituum Consultore, ejusdemque Causæ Postulatore

ET

BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.

DICATUM.

ROMÆ, MDCCLI. Excudebat Antonius de Rubeis.

SUPERIORUM FACULTATE.

COMPENDIUM
OPERIS
DE STUDIOSO BIBLIORUM
GRECOREGIOPOLITANI
BENEDICTO XIV.

BENEDICTO XIV.
PONT. MAX.

F. BERNARDINUS MEMBRIVE ORD. PRÆD.
FELICITATEM.

Tſi neque magnitudo voluminis, neque facultas polite, eleganterque dicendi, qua ſcriptor hic noſter valeret, res tamen ipſa monebat, Benedicte Pontifex Maxime, ut hoc qua-

qualecumque opuſculum Tibi eſſe inſcribendum, dedicandumque ſtatuerem. Agitur namque de ſtudio ſacrarum litterarum, quarum Te neque ſtudioſiorem quemquam, neque cultorem ullum eſſe diligentiorem certo ſcio, demonſtraturque in eo deinceps, ut ſe Gregorius Lopeſius totum dediderit eidem generi ſtudiorum, in cujus optimi, ſapientiſſimique viri cauſſa ita es ipſe verſatus, ut aliquando (quod quidem muneris, quo tunc fungebaris, ratio poſtulabat) accuſator; nunc autem judex ſis conſtitutus, cum ſummo & bono, & commodo Populi Chriſtiani Pontifex Maximus univerſam Eccleſiam moderere. Atque ut omnes intelligant, nihil a me tribui Sanctitati Tuæ, quod Tibi jure quodam Tuo non debeatur, relinquenda ſcilicet aliis, qui de Te aliquando ſcribent, quæ de vetuſtate, nobilitate, amplitudineque Gentis Tuae tradita ſunt, & tradentur, quoad ea vigebit, memoriæ hominum ſempiternæ, eaque breviter deſcribenda putavi, ex quibus quantum operæ, curæ, diligentiæ in Sacrorum Bibliorum ſen-

Octob. fuisse ab se Doctoris Laurea insignitum. Quod sane elogium & breve, & satis moderatum eo facio plurimi, quo profectum ex homine sit, qui nulli, quisquis tandem esset, plus quam veritas posceret, tribuendum arbitrabatur. Ergo cum deinceps in dicendis caussis ita versarere, ut omnes in Te non minus peritiam Legum, & Canonum Ecclesiasticorum, quam rerum Theologicarum scientiam admirarentur, & non modo Advocatus ex eorum Ordine, quos Consistoriales vocamus, sed etiam Canonicus Theologus Basilicæ Vaticanæ Sancti Petri magno omnium plausu esses renunciatus; tum Clementi XI. Pont. Max. qui Te optime noverat, non diu quærendum fuit, quem Fidei Promotorem, qualem optabat in Theologicis, Jurisque prudentia summa cum laude diu multumque exercitatum, deligeret. Converterat namque in Te continuo cogitationem, atque ubi tempus opportunum venisse animadvertit, eam Tibi ultro contulit dignitatem. In qua quidem sustinenda, quum eum Te præbuisses, quem ille futurum

prospexerat, Sacræ Congregationi Concilii a Secretis Te esse Romani Pontifices voluerunt, indeque Tibi viam munisti, ut in Purpuratorum Patrum Senatum a Benedicto XIII. Pontifice Maximo Nostri Ordinis ornamento cooptarere. Dici vix potest, quæ deinde quasi in maximis negotiis otio abundasses, exhibueris doctrinæ, eruditionisque Tuæ documenta. Nam Episcopus primum Anconæ a Benedicto, post Bononiæ Patriæ Tuæ Archiepiscopus a Clemente XII. Pont. Max. creatus, non solum edicta, atque decreta plena optimarum præceptionum, quæ petitæ ex Sacris Bibliis, commentariisque Sanctorum Patrum essent, vulgasti, ut eorum, qui crediti curæ, fideique Tuæ fuissent, vitam componeres ad virtutem, & pietatem; sed etiam præclara volumina de Sacrificio Missæ, de diebus Festis, deque Servorum Dei Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum publici Juris feciſti, quæ tantam Tibi gloriam pepererunt, ut & Catholicis nostris, & iis etiam, qui ab Ecclesia propter hæresim sejuncti sint, maximopere ce-

celebrareris. Quamobrem mirabile non fuit, si ille ipse Deus Optimus Maximus, qui te tanto ingenio ornaverat, totque præsidiis ad tantam doctrinam, virtutem, dignitatem provexerat, Pontificem tandem Te, Pastoremque Universæ Ecclesiæ constituerit, qui sic eam regis, ac moderare, ut omnes sapientia doceas, exemploque Tuo emendes, atque instituas mores Christianorum. Ut enim libros de Synodo Diœcesana, totque Constitutiones publicasti, quibus quid quemque credere, agereque oporteat, sapienrer, prudenter, graviter, ut decet Pontificem, proposuisti; sic quæ abs Te explicata, atque sancita fuerunt, ipse primus perfeciſti opere, atque una ostendisti, quid doctrina conferre ad virtutem colendam possit. Ac ne quis me illorum more facere arbitretur, qui rem quamque amplificare dicendo solent, Romanorum ego civium, Romanorum autem? Immo vero omnium hominum, qui ex tot, tamque inter se dissitis regionibus Romam anno superiore venerunt, fidem appello. Hi sane dicent, ut Te viderint

incredibili comitate, atque clementia, quoque die peregrinos excipientem, ſummaque humanitate alloquentem, ut Baſilicas Urbis perſæpe inviſentem conſpexerint, ut admirati ſint pedes pauperum lavantem, iiſque, cum in Xenodochiis agerent, miniſtrantem. Sed mitto cetera, ne offendere videar tuam ſingularem modeſtiam, quæ tam clara, tam perſpicua, tamque teſtata ſunt, ut ne ab invidis quidem, ſi qui uſquam eſſent, obſcurari, deprimique poſſint. Igitur Deum Optimum Maximum oro, atque obteſtor, ut Te ſumma cum laude in Hiſtoria Eccleſiæ verſatum, tanta ſapientia, integritate, virtute Pontificem, (quem olim cum Promotoris Fidei munere fungereris in Cauſſa Lopeſii experti ſumus oppoſitorem; nunc autem, ob venerabilis Viri innocentiam, ſanctitatemque vitæ, benignum judicem futurum non ſperamus modo, ſed nobis etiam pollicemur) ſoſpitem diu, atque incolumem Eccleſiæ ſuæ ſervare velit.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Quod suffragiis Illustrissimorum, ac Reverendissimorum Sacræ hujus Congregationis Consultorum fuerat expetitum, Opus de Studioso Bibliorum; ut, quæ illuc transtulit testimonia Joannes Diaz ex Actis, & Processu Causæ Vener. Lopesii, ad ejusdem Causæ opportunitatem redirent, fæliciter typis excusum est, ad manuscriptorum fidem diligenter exactum. At cum magnum in codicem crevisse opus viderem, intelligeremque Summo Pontifici, ut aliis plurimis, ita gravissimis hisce curis occupato tantum otii, & commodi esse non posse, ut illud evolveret; facturum me eidem operi pretium duxi, si, resectis inutilibus, in Compendium redigerem. Et hoc quidem me consilio firmavit illud maximè; quod cum eidem Summo Pontifici animum declarassem, ac voluntatem, suo nomini inscribendi: passus non modo est, sed testatus, officium futurum vel jucundissimum, ac de rerum exitu bene sperare est adhortatus. Quapropter omne meum subcisivum tempus Synopsi propositæ transmittendum curavi. Atque ut absolvi, equidem sensi, pariter facturum rem huic causæ non inutilem, & Illustrissimis, ac Reverendissimis Collegis meis, ut spero, non molestam, si singulis singula ejusdem Synopsis exemplaria partirer.

Hæc autem inita a me ratio instituti est: ut quoniam Codicem illum tenent scholasticæ Quæstiones tredecim supra centum; unaquæque autem Quæstio duabus partibus contineatur, altera nimirum, quæ ad Sacrorum Bibliorum studium, altera

quæ

quæ ad rem facit Ven. Lopesii; imprimis curavi, ut, quæ sunt scholæ propria, strictim presseque dissererem, & quasi ad vivum omnia resecarem, obscura & confusa quædam claritate distinctaque methodo donarem, nullo tamen rationum ponderis detrimento, nulla sententiarum jactura. Objectionum vel negligere leviores, vel graviores confutare ipsa probatione sententiæ elaboravi, & fere omnes quæstionum titulos, firma quidem re, mutatis verbis exponere. An vero quæstionum numerum secarem, vel in unam plures cogerem, sæpe mecum cogitavi: satius tamen esse duxi, sartum tectum, quoad fieri potuit, Auctoris opus custodire, ut intelligant Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini, omnia ad brevitatem claritatemque fuisse suscepta.

Quod vero ad rem pertinet Ven. Lopesii: omnem eo diligentiam contuli, ut quæ parum utilitatis afferre visa sunt, parum conatus ad probandum susceperim; quæ autem majoris esse ponderis sensi, plurium documentorum genere confirmaverim: eaque si forte documenta in qua versabar quæstione non invenirem, ex aliis quæstionibus illuc, ut mihi videbatur, opportunius advocarim; brevitate quidem & fide servata. Quod a me factum ingenuè constat eo vel maxime: ut cum acta quædam aliunde repetii, statim quæstionem, ex qua hauseram, indicarim: quæ vero acta sine ullo quæstionis indicio proferre consuevi, in ea ipsa, quam Titulus præsefert, quæstione penes Auctorem Operis inveniantur.

Quantum in hisce omnibus elucubrandis profecerim, aliorum sit judicium: certe secutus sum. Interim non aliam sibi mercedem diuturnus labor desiderat, quam ut Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini eadem, qua Summus Pontifex humanitate, ac patrocinio Ven. Lopesii causam excipiant.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinopolitanus Viceſg.

MAndante Reverendiſſimo P. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro legi Opuſculum, cui titulus, *Compendium Operis de Studioſo Bibliorum*. Nihil in eo mihi viſum eſt, quod vel Catholicæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur; quin omnia, quæ ad Sacrarum Scripturarum ſtudia conducunt, ſtrictim quidem, ſed ſolidè; atque dilucidè traduntur: eaque cum ex Actis Servi Dei Gregorii Lopez roborantur, in uſu habetur, quod traditur. Quare, ut legentes curam omnem facillimè, rectè, ac utiliter hiſce ſtudiis accommodent, admirenturque quanta Deus ſervo ſuo Gregorio Lopez beneficia exindè contulerit, dignum cenſeo, quod lucem aſpiciat. Ex Collegio S. Franciſci de Paula ad Montes die 9. Octobris 1750.

F. Iſidorus Mancini Ordinis Minimorum ex-Provincialis, in eodem Collegio Studiorum Regens, Sacr. Congreg. Ind. & SS. Reliq. Conſult., S. Rom. & Univ. Inquiſitionis Qualificator.

Juſ-

JUssus a Reverendissimo Patre Sacri Palatii Apostolici Magistro legi Opusculum, cui titulus præficitur: *Compendium operis de Studioso Bibliorum*: Cumque nihil in eo offenderim, quod moribus, aut religioni obsit: quinimmo pro iis, qui Sacro Bibliorum studio, quod fieri ab omnibus optandum est, incumbere volunt, regulæ, compendiosè quidem, sed valde perutiles, atque efficaciter promoventes, a Sanctorum Patrum doctrina excerptæ, concinnè sint traditæ; Et quod magni ponderis existimandum judico, a Ven. præclarissimo Viro, tum sanctitatis, tum doctrinæ exemplo Gregorio Lopez, in usum quamdiligentissimè vocatæ admirentur, quantum ad me attinet, censeo opus admodum perutile, ut typis mandetur, si iis, ad quos spectat &c.

Ex Cænobio Sanctorum XII. Apostolorum die 30. Octobris 1750.

Fr. Carolus Antonius Tedeschi Exprovincialis, & Sac. Rituum Consultor Minorita Conventualis.

IMPRIMATUR.

F. Joseph Augustinus Orsi Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Mag.

DE

COMPENDIUM OPERIS DE STUDIOSO BIBLIORUM

CAPUT I.

De modo ſtudendi Sacris Bibliis

QUÆSTIO I. PROEMIALIS

Qui Auctores de modo ſtudendi Sacris Bibliis ex profeſſo diſſeruerint?

1. PRimum imprimis eſſe debet; quod ad ingrediendam Studii Bibliorum rationem abundare oporteat præceptis, inſtitutiſque quorumdam Auctorum: ut viæ difficiles ductu eorum facilè aperiantur, & in alieno labore noſtra poſsit inveniri levatio. Nam licet ex *lapidibus*, *potius quam magiſtris*; *ex lignis*, *quam libris* ſit aliquando hæc diſciplina profecta, ut expertus teſtatur D.Bernardus *epiſt.* 106. difficile tamen eſt, hoc nonniſi de paucis confirmare; inter quos Ven. Lopeſius adſciſcendus, qui inter ſilvas, rupeſque deſerti Amajac degens, per creatas res ad Creatoris & divinorum ſummam cognitionem pervenit myſteriorum, quæ in Bibliis a ſe *quotidie prima auroræ albicante luce* diligentiſsime

perlectis continentur, ut habetur *cap.* 10. *vitæ relat. q.* 13, *&* 40. *hujus ſynopſ.* Nec tamen omiſit penitus, Bibliorum Studio lectionem Interpretum, atque Doctorum conjungere, ut probabimus *qq.* 19. 20. 24. *hujus ſynopſis*.

2. Pleriſque igitur cum maximum ſit adjumentum laturus modus, quem Auctores tradidere in Bibliorum Studiis ſuſcipiendis; operæ prætium eſt, aliquot eorum proferre. Copioſius itaque & accuratius modum ejuſmodi tradiderunt Origenes *hom.* 12. *in Exod.* S. Auguſtinus *in* 4. *libris de Doct. Chriſt.* Abbas Neſteros *collat.* 14. *apud Caſſianum*. S. Bonaventura *tract. de Illuminat. ſeu in Examer. ſerm.* 19. Fr. Laurentius Villavicentius *in* 4. *lib. de recte formando ſtudio Theologico*. Fr. Walphangus Sedeſius *in Iſagoge ſtudii Theologici*. Aliique bene multi.

QUÆSTIO II. PROEMIALIS.

Cur his Auctoribus, ceteriſque omiſſis, Gregorius Lopeſius ſtudioſo Bibliorum proponatur?

1. RAtio eſt, quia ſolus Lopeſius toto ſuæ vitæ curſu ita fuit Bibliis deditus, ut nullo unquam tempore, aut cura rerum humanarum abſtraxerit, ſicut aliquando D. Auguſtinum; aut regimen Eccleſiarum avocaverit, ſicut DD. Baſilium, & Gregorium Nazianzenum; aut munus aliquod retardarit, ſicut Hieronymum; aut defeſſæ ætatis incommodum relaxarit ſicut Origenem. Quippe noſter Ven. unice huic ſtudio animum appulit; nam Civitatem de los Zacatecas deſerens nihil aliud ſecum ferebat niſi Biblia, in deſertum Amajac confugiens, Bibliorum ſtudium protrahebat ad profundam noctem; mane ſurgens Biblia verſabat, legebat diligenter, memoriæ tradebat, animo volvebat, flexis genibus venerabatur, ita ut verè Biblicus ſit appellandus. Si enim (ut docet S. Auguſtinus) *terram amas, terra es, ſi cælum diligis, cælum es*; nonne tam ſollicitus quocumque in loco, quocumque tempore Bibliorum amator jure Biblicus erit appellandus? Quid proinde tam inauditum, quam ut ferociſſimos Chichimecas ſolo munitus Bibliorum præſidio cohibuerit; mites, & manſuetos reddiderit, adeo ut tugurium, in quo latebat, conſtruerent, cibos offerrent, ſuæ-

ſuæque obliti feritatis, humaniſſime agerent, ſemper aliquid percipere, aut audire ſtuderent?

QUÆSTIO III. PROEMIALIS

An Lopeſius tam applicatis, quàm applicandis huic ſtudio exemplum ſit aptum, quod ad imitandum proponatur.

1. TRaditum a Franciſco Loſſa eſt *cap. 1. ejus vitæ. In Sancta domo Deiparæ de Guadalupe fuiſſe Gregorium a piiſſima Virgine ſpecialiter ſeſe revelante juſſum, ut novam Hiſpaniam pergeret.* Perrexit: tumque Occidentales Indos ſtatim exiſtimaſſe, talem ſibi virum divinitùs conceſſum ac veluti cælo delapſum, ut recta vivendi ratione, ac doctrinæ præſtantia infideles & rudes populos inſtitueret, illuminaret. Quapropter ſi admirationi dumtaxat haud imitationi Lopeſius eſſet traditus, non modo cæleſtis beneficii loco id habere non poſſet, ſed pro gravi malo foret reputandum: quippe præſentia magis, quam abſentia bona nos afficiunt dolore, ſi ad nos ipſos nullatenus referantur. Quod ſi aliqui extiterint quibus ejus vitæ, & ſtudii ratio nimis ardua, perdifficilis, ac fere ſingularis viſa eſt: hoc ipſum divino conſilio factum intelligant, ut quoniam iis temporibus lociſque abundabat malitia & error, unus inveniretur in quo ſuperabundaret Gratia, & Sapientia.

2. At re ipſa Lopeſium non ſolum ad intuendum verum etiam ad imitandum proponi, evincit maxime teſtimonium P. Joannis a S. Jacobo relat. ab Auct. *hujus Operis q. 40. quod magno affectus deſiderio videndi virum adeo Sanctum, ut cum eo ageret, & quoad poſſet imitaretur, & de ejus ſpiritu caperet emolumentum &c.* Idque confirmat ſuo exemplo Licentiatus Loſſa, qui ut habetur *fol. proceſſ. 17. & 30.* relat. ab Auct. *hujus Operis q. 60.* atque alibi *contemplatus illum* (Gregorium) *tali virtute ſplendentem, a terrenis ad cæleſtia convertit, a deliciis omnino, & hominum converſatione abſtinuit,* ac tandem eremiticam cum ipſo, & pauperem vitam elegit, eodem tugurio concluſus, eademque exercitia perfectionis aggreſſus.

QUÆSTIO IV.

An Scientia Bibliorum sit a Deo solis precibus expectanda?

1. QUamquam a Deo omnium largitore munerum sit imprimis expectanda Bibliorum scientia, quemadmodum Prothoparentibus nostris inditam legimus plurium divinorum peritiam: proindeque opus sit enixas ad Deum preces fundere juxta monitum Jacobi I. *Si quis indiget sapientia postulet a Deo*; laborem tamen nostrum impendendum Augustinus docet *lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 37. Velle* (inquiens) *eruditionem Bibliorum sine studio adipisci ac labore, idem est ac tentare Deum: non tentemus itaque eum cui credimus, neve expectemus rapi usque ad tertium cælum, & ibi audire ineffabilia verba*. Quosdam sane consecutos solis precibus divinorum intelligentiam novimus, ut Antonium, ac Theodorum Abbates, quos absque studii labore sacras literas memoriter tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse Augustinus prædicat. At nunquid omnes poterunt de se hoc ipsum præstare? ut quia Deus per annos 40. Israelitas prodigio aluit, omittemus proinde serere, aut arare, aliaque ad vitam necessaria negligemus? A Deo igitur existimemus hauriri omnem debere Bibliorum intelligentiam in ea autem persequenda tum preces, tum assiduum laborem impendi oportere.

2. Quæ quidem omnia in Ven. Lopesio admiramur. Siquidem animum ad hoc studium totis viribus appulit (*vid. Auct. operis qq. 38. 40.*) preces conatibus adjunxit. (*Vid. qq. 5. 75. synopf.*) Sed divino afflatu præsertim creditur eruditus. Scribit enim Lossa *cap. 14.* vitæ: *Tres regalis Universitatis Mexanicæ Doctores Theologi cum Gregorio de locis Sacræ Scripturæ difficilibus agentes, pariter ab eo petierunt, ut si quod sacrum testimonium de materia, quam ibi nominarunt, repererat, assignaret. Ipse difficultati propositæ testimoniorum multa claritate respondit, & testimonium materiæ proprium exhibuit, quod ipsi, qui particulari diligentia puncto studuerant, non repererant. Ex quo admirati, me præsente, dixerunt: Homo iste sapiens, nos autem quid scimus? Beatus Homo quem tu erudieris Domine.* Et infra: *Viginti annis antequam moreretur Gregorius, in conspectu trium gravium, & eruditorum*

rum religioſorum Ordinis Prædicatorum exclamavit Fr. Dominicus de Salazar primus Archiepiſcopus Inſularum Philippinarum. Patres, quid eſt hoc? Nos enim licet multum per ſpatium vitæ ſtudiis incubuerimus, medietatem ſapientiæ hujus Juvenis non attingimus. Vid. etiam de infuſa Lopeſii ſcientia probatiſſimos teſtes Franciſcum Suarez & Petrum de Hortigioſa relat. ab auct. *hujus operis qq. 9. & 90.*

QUÆSTIO V.

An Bibliorum intelligentia per qualemcumque laborem cum generali Dei auxilio poſſit acquiri?

1. QUotuſcumque labor cum generali Dei concurſu facilia tantum opera poteſt attingere: at vero nimis ardua, & ſuperioris ordinis negocia ſine maximo conatu, nec non ſuperiori adjuvante virtute obire non poſſumus: In Bibliis, autem altiora ſacramenta, ſecretiora myſteria contineri ſcimus omnes. Opus eſt igitur indefeſſum laborem impendi, ſpecialis gratiæ viribus adjuvari, quam Deus exorantibus ſolet conferre.

2. Lopeſius Biblia apprime intellexit, ſpeciali divinæ gratiæ lumine mentem ſuam illuſtrante, ipſe tamen ſecum ſtatuit, aſſiduo labori, jugique orationi incumbere, ut legitur *cap. 26. ejus vitæ* relat. ab auct. *hujus oper. q. 23. In cæleſti hac occupatione* (ſcilicet vitæ eremiticæ) *cæpit Biblia legere, & in hoc tempore* (ſcilicet matutino) *pluſquam in alio: Solebat enim in die tribus aut quatuor horis legere.* Et *cap. 10. ejuſd. vitæ* habetur. *Exercitia ejus ſpiritualia quæ non erant nova, ſed eadem, in quibus Dominus Deus noſter eum in principio poſuerat, licet ſemper majori facto augmento.... Finita namque Sacræ Scripturæ lectione, ſuccedebat illud exercitium adeo interius, & reconditum, ut nullis ſignis exterioribus appareret cujus eſſet qualitatis; an oratio, an meditatio, an contemplatio.*

CA-

CAPUT II.

De necessitate studii Bibliorum.

QUÆSTIO VI.

Necessariumne sit cuilibet homini studium Bibliorum?

1. UTroque testamento promulgato eorum studium, atque intelligentia sunt universali Ecclesiæ simpliciter necessaria. Dixi *Promulgato*; nam cæpit tunc esse remedium salutis ordinarium, cum antea Revelatio, & Traditio obtinerent. Additur *Universali*: quia sicut universa Respublica sine legum peritiâ & observantiâ nequit salva consistere, licet Reipublicæ pars sine iis esse possit, ita Ecclesia universa sine studio, & intelligentia Bibliorum: ut omnes & singulos fideles instituere non solum in dogmatibus possit, & ad disciplinam pertinentibus, sed etiam, cum opus fuerit, in iis quæ Figuras, Typum, Allegoriam, Historiam, Cronologiam, Genealogiam spectant; quia ut notat Villavicentius *lib. 1. de ordin. stud. Theol.* Ecclesia Christiana *est schola omnium fidelium: Hujus Cathedræ moderator Petrus, omnesque Successores: Et Sacra Scriptura liber exponendus.*

2. Cæterum homini adulto simpliciter necessaria est Bibliorum intelligentia quantum ad Catechesim Christianam. Quippe homo ad beatitudinem ordinatur quibusdam mediis; oportet autem, prius ut illa cognoscat, si cognitionis est capax; Media ejusmodi cum sint Christiana Catechesis, quæ in Bibliis continetur; unde dicuntur Biblia *Liber Vitæ Eccl.* 24. Necessaria igitur simpliciter illi est Bibliorum intelligentia quantum ad Catechesim Christianam: quoad vero alia perutilis est, ut infra ostendemus.

3. Ut necessitati consuleret Lopesius omnia fidei mysteria, ac recte vivendi rationes optime calluit, atque alios etiam docuit ut videre est *q. 43. hujus synopf.* Ut vero utilitati, quævis Bibliorum magis abscondita sacramenta detexit. In animum enim induxerat suum, ex majori Bibliorum intelligentia magis in via Dei sese profecturum: *nam respiciebat divinas Scripturas, ut in earum lectione*

ne

ne fundaret quidquid per diem esset operaturus, ut constat *ex cap.* 10. *vitæ*.

QUÆSTIO VII.

An cuncti homines ratione utentes studio Bibliorum incumbere debeant?

1. Affirmant S. Augustinus, Joannes Crisostomus, aliique: quoniam Biblia, inquiunt, sunt veluti epistolæ a Patre Deo ad nos filios missæ, ut a malis liberemur, ac de fine beatitudinis, cui conditi sumus, erudiamur. Nullus autem filius excusatione dignus est, si Patris epistolam ad se pro suo bono Missam aut non legat, aut sibi legi ac declarari negligat. Tenentur itaque cujuscumque conditionis homines ratione utentes pro suo modulo Bibliis incumbere. Cum præsertim exempla non desint, ipsos etiam Barbaros ac infideles homines non dicam suscepta sed fortuita Bibliorum lectione a vitiis ad virtutem, ab errore ad Evangelicæ veritatis lucem fuisse revocatos; ut de quodam Turca in Catholicum, & Christi martyrem constantissimum converso narrat Laurentius Soranzus *in Othomano cap.* 104. Præ ceteris autem omnibus Christiani tenentur studio Bibliorum incumbere, qui perfectionis in statu versantur: perfectio enim omnis ex cognitione divinorum oriatur necesse est.

2. Neque obstat; aliquando ex defectu, puta ex ignorantia, vel malitia legentis graves fuisse exortas offensiones; unde inquit S. Augustinus *in psalm.* 7. *Sacræ Scripturæ sunt arcus, ex quo boni & mali possint sagittas jaculari*. Nam si quis debito modo, hoc est recta voluntate, sana intentione, piaque affectione, consilio prudentum, interpretum judicio Bibliis applicetur: non modo nullum malum, sed maximum inde commodum consequitur.

3. Quantum vero commodi aut boni reportasse ex Bibliis judicandus est Ven. Lopesius, dum omnia bona, eaque amplissima contemnens, sola Biblia comparavit? *Le Supellettili o robbe che possedeva erano una Bibbia, & una mappa, & un globo che fece per le sue mani* (*cap.* 22. *vitæ*) Dum unice ea in prætio habuit, genuflexus legit, pioque affectu meditatus est, om-

omnesque ratione utentes ad hoc studium hortatus? Tantum profecto commodum fuit, *ut multi contenti essent, & se ut fœlices æstimarent, si ea quæ Gregorius in scientiis assecutus retulimus ipsi attigissent* (*cap.* 16. *vitæ*) *sed cum Deus sit largitor, & homo valde capax, vult suprema majestas aliquot exempla proponere in hominibus, quibus multum largitus est, ut verecundia afficiatur, & reprehendatur in his tepiditas illorum, qui non se ad talia suscipienda disponunt: Disposuit ergo se hic vir Sanctus ita apte ut unus illorum existat, qui in se ipsis hujus veritatis cum eminentia exhibent testimonium.*

QUÆSTIO VIII.

An liceat fœminis studio Bibliorum incumbere: Eaque interpretari?

1. TUm licitum est, tum laude dignum, ut non solum Catechesim Christianam, sed alias etiam Bibliorum partes doceantur & fœminæ. Inquit enim Apostolus 1. *Timoth.* 2. *mulier in silentio discat*. Scribitque ad Letam de institutione Filiæ S. Hieronymus: *Adhuc tenera lingua psalmis imbuatur. Ipsa per se consuescat paulatim verba contexere, non sint ea fortuita, sed certa, & coacervata de industria. Prophetarum videlicet atque Apostolorum, & omnis ab Adam Patriarcharum series de Matthæo, Lucaque descendat, ut dum aliud agit, futuræ memoriæ præparetur. Reddat tibi pensum quotidie de Scripturarum floribus carptum. Pro gemmis & serico divinos Codices amet*. Et hoc propter maximas utilitates quas S. Joannes Chrisostomus recenset super illa *psalm.* 43. verba *Patres nostri narraverunt nobis*.

2. Præsertim vero sacras Deo, aut consecrandas Virgines Bibliis institui laudatissimum esse atque utilissimum ad vitæ perfectionem, quam amplectuntur, probat *ibid.* S. Hieronymus. *Discat primo Psalterium; hic se canticis avocet; & in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat, quæ mundi sunt calcare. In Job virtutis & patientiæ exempla sectetur. Ad Evangelia transeat, nunquam ea depositura de manibus..... Ad ultimum sine periculo discat Canticum Canticorum, ne si in exordio legat, sub carnalibus verbis spiritua-*

lium

lium nuptiarum epitalamia non intelligens vulneretur. Ex qua Hieronymi ſententia etiam colligitur ut nonnulla Scripturarum loca caute tradantur feminis legenda propter infirmitatem: quemadmodum ubi difficultates, obſcurique ſenſus occurrunt, doctarum mulierum præſidio opus eſſe docet alibi Hieronymus, ut erroris aut deceptionis occaſio tollatur, vel ingenii exiguitati ſuppleatur.

3. Cæterum haud decet fœminas quamvis perdoctas publice fungi Bibliorum interpretis aut magiſtræ munere; cum idem Apoſtolus ſtatim adjungat: *Docere autem mulieri non permitto*. Cujus auctoritati inhærens Eccleſia, præcepto idem cavit *lib. 3. Conſt. Apoſt. cap. 6. Non permittimus igitur mulieres in Eccleſia docere, ſed tantum orare, & magiſtros audire: nam magiſter ipſe, & Dominus Jeſus Chriſtus nuſquam mulieres miſit ad prædicationem, quamquam non deerant*. Provectioribus tamen ætate ac doctrina fœminis privatim conceditur hortando potius quam præſidendo familiam, aut puellas edocere: ut ſuper illa verba Apoſtoli. *Anus in habitu ſancto bene decentes* notat Criſoſtomus. Et licet factum quandoque ſit ut mulieres publice docerent, ut Juria, & Cornelia, Locrenſis, & Corinna; id ex abuſu factum cenſetur.

4. Poſſunt tamen mulieres etiam publice docere, ſi eas infuſa, vel parta laboribus ſcientia divinorum præſtantes in aliorum inſtitutionem Deus ſpeciali providentia deſtinavit. Hoc in numero fuiſſe imprimis Deiparam Virginem, S. Caterinam Alexandrinam, tum Senenſem, Gertrudem, Thereſiam credimus.

5. Probavit Lopeſius, privatim fœminas poſſe docere, nam ſe ipſum ob humilitatem præſtitit edocendum, ſi forte in aliquo non ſatis inſtructus reperiretur. *Cap.* enim 21. *vitæ* teſtatur Socius: *Tribus aut quatuor diebus ante mortem ejus, ut virum Dei videret, Inda quædam acceſſit, & cum ad eum lingua Mexicana loqueretur, quam non intelligebat vir Dei: dixit mihi, ut omnino adverterem dictis mulieris, quia forte vellet illum de aliqua re inſtruere. Unde multum ejus humilitatem notavi.*

CAPUT III.

De qualitatibus ſtudioſi Bibliorum.

QUÆSTIO IX.

An ab Infantia, & Pueritia ſit Bibliis vacandum?

1. MUltum intereſſet, ſi ab Infantia poſſent omnes ſtudio Bibliorum aſſueſcere; Quippe experientia conſtat, *eos qui præſtantes futuri ſunt, ab ineunte ſtatim ætate tam ludendo quam ſtudendo in ſingulis ei negotio convenientibus meditari*, ut inquit Plato *lib. 6. de legib.* Nullum autem inveniri majus poteſt negotium, quam Bibliorum ſcientia præſtare, ut queis divina continentur. Hinc Timotheus ab Apoſtolo laudatur, quod *ab Infantia ſacras literas noſſet*. Et Ludovicus XIII. Francorum Rex jam jam moriturus infanti quatuor annorum filio regnique hæredi Biblia præbuit, ut eo uſque tempore veneraretur, oſcularetur, lectionique aſſueſceret.

2. Multoque magis intereſſet a Pueritia homines imbui Bibliorum ſcientia non modo quæ ad Catholicam fidem, & morum pertinet inſtitutionem (quippe hanc oſtendimus neceſſariam uſum rationis habentibus) ſed quæ Hiſtoriam, Chronologiam, omnemque eruditionem reſpicit. *Natura enim tenaciſſimi ſumus eorum quæ rudibus annis percepimus*, inquit Tertullianus *lib. 1. cap. 1. Inſtit.* Hinc Hebræorum pueri adeo Bibliis applicabantur, ut vix ex alphabeto exceſſerant, aliqua eis Bibliorum legenda, retinendaque proponerentur. Et hoc quidem recte factum. Nam ſi Ariſtoteles commendat, ut pueri quamprimum in jure inſtituantur quo ſibi & Reipublicæ utiles ſint; quanto magis ſacras literas, unde majora ſibi & aliis commoda proficiſcuntur, edoceri debent? Proptereaque conqueritur S. Hieronymus ſe in Bibliis fuiſſe verſatum dum canis aſpergeretur, minori enim labore ſapientiorem evaſurum agnovit, ſi a pueritia his ſtudiis incubuiſſet.

3. Cautione tamen eſt opus: ut ſcilicet pueri ſuaviter inſtituantur: *ne puer, qui ſtudia amare nondum poteſt, oderit; &*

ama-

amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet. Lusus hic sit, etiam rogetur, & laudetur, & nonnunquam sciisse se gaudeat..... præmiis etiam, quæ capit illa ætas, evocetur: inquit *de Orator. Instit.* Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 1. Altera cautio est, ut aliquæ Bibliorum partes quæ perfectiorem scientiam, & maturius naturæ tempus & consilium petunt, iis non committantur, ut principium Geneseos, Canticum Canticorum, Ezechielis exordium & finis.

4. Pudeat igitur eos parentes, qui cum promptissimo ingenio celerique memoria filios susceperint, eos astrorum aspectibus, aliisque humanis scientiis excoli volunt, Bibliorum scientia neglecta. Ipsos etiam Studiosos pudeat, qui cum pueritiam, adolescentiamque ab hoc studio alienam duxerint, non committunt saltem, ut reliquum vitæ suæ tempus eidem transmittant. *Quippe nunquam intempestive fit, quod salubriter fit, sive a teneris incipias, sive ex ephæbis, aut aliquanto post accedas*, inquit Villavicen. *lib.* 1. *de rat. Stud. Theol. c.* 1.

5. Sed an Lopesius a pueritia deditus huic studio fuerit, inquiramus, *Cap.* 1. *ejus vitæ* legitur: *Prævenit eum Dominus noster valde manè in sua pueritia: nam cum ab eo opportunè rogasset* (Licentiatus Lossa) *quando Deo servire incæpisset: an statim ut usum rationis fuerat consecutus? respondit mihi, ignorare se an certè in ipsius rationis initio an parum post: scire tamen certissimè se a Domino valde diluculo præventum, & nunquam fuisse moribus puerum*. Quod esse unquam potuit istud Beneficium: præveniri a Domino, præter consuetas naturæ leges, & jura ætatis vocari, nisi vocatus ad eum cognoscendum fuisset, divina contemplandum, bona operandum? Sed clariora his videamus Franciscus Suarez juramento testatur: *Roganti sibi quomodo tot auctoritates Sacræ Scripturæ afferret; respondisse virum Dei, quod a pueritia, & semper habuit desiderium sciendi Sacram Scripturam*. Ex quo ritè inferimus, quod desiderium ejus exaudivit Dominus: Inquit enim Sapiens 7. 7. *Optavi, & datus est mihi sensus; & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ*.

QUÆSTIO X.

An ſenes Bibliis ſtudere debeant?

1. SEnes quod vitæ reliquum eſt, huic Sacro Studio debent impendere. Sunt enim Biblia, juxta Doctores, medicamentum animæ, & pharmacum Immortalitatis: mederi autem animæ debent imprimis ſenes ut prudentiores: immortalitati conſulere ut viciniores: proindeque vel Biblia præcedenti ætate volverunt, vel non: ſi primum, inſiſtendum uſque eſt ad extremum vitæ, exemplo ſummorum virorum, præſertim Sancti Auguſtini, ac D. Thomæ; quorum alter pſalmos pœnitentiæ circùm lectulum ſcriptos legens ſuaviter obiit: alter Cantico Canticorum commentatus, in illis verbis: *Veni dilecte mi, exeamus in hortum*, ad æternas delicias evolavit. Si autem ſecundum; magis præſtat ſerò diſcere quam nunquam. *Quid ſtultius*, inquit Seneca *epiſt. 76.*, *quam quia non didiceris, non diſcere? Omnis ætatis homines ſchola admittit: tandiu diſcendum eſt, quandiu neſcias*. Quod ſi labore terrentur, ætatis pondere gravantur, meminerint, quod qui in magni muneris exercitio decidunt, ut in prælio miles, in regimine Princeps, laudabiliter decidunt.

2. Ita porro laudabiliter decidit Lopeſius. Cum enim per omne vitæ ſpatium in hoc ſtudio totus fuiſſet, morti proximus, magnum ſeſe declaravit experiri dolorem quod decem jam diebus Biblia non legeret: *Decem diebus his Biblia non legi, nec recordor tandiu eorum lectionem omiſiſſe ab egreſſu in ſolitudinem* (*cap.* 10. *vitæ*) Quamquam eo tempore nonniſi ob impotentiam deſtiterit ab lectione: quippe atrociſſimum pro ſpirituali ſalute proximi purgatorium ſubſtinuit, ut dicitur *vitæ cap.* 11. *Erant dolores, quibus corpore cruciabatur adeo vehementes, ut rogatus a ſocio, quid ſibi doleret; dixit: a planta pedis uſque ad verticem capitis intenſe afficior dolore.*

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

An sint a Bibliorum studio arcendi, qui plenam eorum intelligentiam assequi nequeunt?

1. INgeniosè comparans S. Augustinus *lib. 2. de Trin.* Scripturam Sacram cum Creatura, inquit: *Scriptura & Creatura ad hoc sunt, ut ipse quæratur, & ipse diligatur, qui & ipsam creavit, & illam inspiravit.* Creaturam verò liber omnibus est apertus, ut *a magnitudine speciei cognoscibiliter possit creator videri* (*Sap.* 13. 5.) ita liber Scripturarum patere omnibus debet, ut diligatur, qui illam inspiravit, & sibi proprium unusquisque fructum accipiat. Sacra enim Scriptura, inquit Gregor. *Prol. Moral.*, *Sicut mysteriis sapientes exercet, sic superficie simplices refovet: habet enim in publico unde parvulos nutriat, & servet: in secreto unde mentes sublimium admiratione suspendat; quasi quidam fluvius, ut ita dixerim, planus & altus, in quo & agnas ambulet, & Elephas natet.*

2. Quod si molestiam parere videatur hoc studium hebetibus ingeniis, iterata tamen lectio, pioque affectu suscepta cum illuminet, & intellectum det parvulis; sua proinde voluptate replet, fructuque legentes, ut de Eunucho Reginæ Candacis narrant Apostolici actus.

3. Idemque Lopesio contigisse legimus *cap.* 10. *ejus vitæ. Erat enim Sacra Scriptura sibi a Deo, ut eam legeret concessa: at si, semel lecta, non bene intellexisset, iterata lectione intelligeret.* Hinc secundum ætatis provectum, impensioremque lectionem incrementa capiebat intellectionis, adeout ætate & humilitate parvulus, affabilitate Scripturæ nutriretur: inter magnos, virtute intelligentiæ pasceretur.

QUÆSTIO XII.

An Idiotæ possint utiliter Studio Bibliorum applicari? Et an Lopesius jure possit Idiota vocari?

1. PRæter SS. Augustinum & Gregorium mox relatis in locis alii etiam Patres tradunt Biblia ita esse composita, ut vulgi etiam homines, opifices, idiotæque utilitatem capere eo-

eorum lectione possint Orig. *lib.* 4. *c. Cels.* Lactant. *lib.* 6. *Div. Inst. c.* 71. S. Cyrill. *lib.* 7. *contra Julian.* S. Basilius *in Defin. contract. q.* 45. S. Fulgentius *serm. de Confes.* S. Joannes Crisost. *hom* 3. *de Lazaro hom.* 10. *Philipp. hom.* 9. *Colos. hom.* 29. *in Gen. & hom.* 39. *in cap.* 9. *ejusdem Geneseos*. Haud obstante, quod Nazianzenus *Orat. de Ordin. differendi*, & Hieronymus *epist. ad Paulin.* valde impudens judicaverint, garrulam Anum, delirum Senem, Sophistam verbosum, ac universos demum præsumere de Sanctis Scripturis philosophari. Hi enim SS. PP. damnant audaciam inquirendi, procacitatemque disceptandi de Sacrorum Bibliorum præsertim difficilioribus partibus, cum quemque etiam doctissimum Scriptura profunditate terreat, superbum vero altitudine irrideat, ut dicit Augustinus 2. *super Gen. ad lit. cap.* 19.

2. Ad alteram quæstionis partem quod attinet; Joannes equidem Alcazar Gregorium vocat Idiotam. *Annot.* enim 26. *proem. de Interp. Apoc.* ait: *Gregorius Lopez vir alioquin idiota, sed sanctitatis opinione clarus in Provincia Mexicana, creditus est divina revelatione accepisse ea quæ scripsit in Apocalypsim vulgari idiomate ... Floruit circa annum Dom.* 1590. *& obiisse fertur in Oppido quodam, cui Sancta Fides nomen dedit .... ubi & ejus commentarius asservatur*. Sed exadverso adest vir summa auctoritate, & Religione & Fide Licenziatus Lossa, qui *fol.* 29. *proces.* & Alphonsus dela Mota, & Scobar Tlaxcalensis Episcopus, qui testantur excellenti ingenio, firmissimaque memoria prædictum fuisse. Constat enim, quod cum puer legere, scribere, Arithmeticè calculare erudiretur, celeriter accepit, quæ tradebantur. Quapropter eximiis naturæ dotibus exornatum fuisse defendimus, ut etiam videre est *qq.* 19. *&* 79. *hujus synops.* Cum verò ad naturam eximiam, atque illustrem accessisset divinæ ratio conformatioque doctrinæ: ipsaque doctrina fuisset Dei afflatu completa, tum illud præclarum, ac singulare extitisse fatemur.

3. Quod si ipsemet aliquando dixerit *Grammaticæ, & scientiis haud studuisse*, dictum putamus haud studuisse ex professo, in scholis, Academiisve, ut fusè declarat Auctor Operis *in hac quæst.*

CA-

CAPUT IV.

De modo ſtudendi Bibliis a SS. PP. tradito

QUÆSTIO XIII.

Quæ præcipuè documenta ſtudendi Bibliis tradita ſint ab Neſterote?

1. TRia potiſſimum tradidit Abbas Neſteros apud Caſſianum *coll.* 14. *c.* 9. Studii Bibliorum documenta. Primum in beatitudinis amore conſtituit. Alterum in Bibliorum meditatione. Tertium in meditationis aſſiduitate: *Primum*, inquiens, *Beatitudinis cupiditate flammamini, deinde hoc tibi eſt enitendum, ut expulſa omni ſollicitudine, & cogitatione terrena aſſiduum te, ac potius jugem ſacræ præbeas lectioni donec continua meditatio imbuat mentem tuam.*

2. Horum primum documentum amplexus eſt Ven. Lopeſius. Nam *fol.* 10. *&* 11. *proceſs.* relat. ab Auct. *hujus Oper. q.* 80. habetur *Quotidie virtutes Gregorii magis heroicæ apparebant, & converſatio ejus cæleſtior*, & *fol.* 108. relat. ab Auct. *Oper. ibidem* teſtatur Epiſcopus Guatimalenſis audiviſſe ab avunculo ſuo, *quod Angelus ſibi videbatur Gregorius in perpetua recollectione, & ſubtractione a rebus terrenis in unione, & aſſiſtentia Cæleſtium.*

3. Alterum documentum amplexus eſt Lopeſius: cum *cap.* 10. *ejuſdem vitæ* dicatur: *Hoc mente volvebat per omne tempus Matutinum, & Veſpertinum*. De meditatione Bibliorum vid. etiam *q.* 40. *hujus ſynopſ.*

4. Tertium denique diligentiſſimè explevit; cum eodem *vitæ cap.* 10. habeatur: *Duabus, aut tribus horis ad ſummum dormiebat in nocte, ut reliquum tempus contemplationi ſuæ invigilaret: uſque dum prima luce albicante aperiret feneſtram, ut iiſdem exercitiis ſequentem diem quibus præcedentem inſumeret* (Vid. hac in re etiam *q.* 15. *hujus ſynopſ.*

QUÆ-

QUÆSTIO XIV.

An D. Bonaventura rectè desumpserit ex SS. PP. modum studii Bibliorum?

1. MOdus studendi Sacris Bibliis a D. Bonaventura traditus *serm. 19. in Exameron*, atque ex SS. PP. desumptus quatuor continet conditiones; scilicet *Ordinem*, *Assiduitatem*, *Complacentiam*, *Commensurationem*. Præter has conditiones nihil amplius requiri ad rectum Studii Bibliorum modum infra patebit. Rectè igitur modum desumpsit Studii Bibliorum D. Bonaventura ex SS. Patribus.

2. In Venerabili Lopesio quatuor istas conditiones reperiri singillatim ostendemus.

CAPUT V.

De modo studendi Bibliis quoad Ordinem.

QUÆSTIO XV.

An rectus sit Ordo traditus a D. Bonaventura?

1. TRaditus a D. Bonaventura ordo est; 1. ut Divinæ, quæ in utroque testamento continentur, sedulo inspiciantur. 2. ut SS. Patrum opera evolvantur. 3. ut Scolastici Doctores consulantur. 4. ut Prophani Scriptores adhibeantur. Rectissimus autem hujusmodi ordo est: quia Sacra Scriptura est ceterarum disciplinarum regina, quam primùm intueri, eique imprimis applicare animum oportet: attamen, cui deserviant, vocandas esse alias disciplinas veluti ancillas ad arcem, eæque sunt commentaria SS. Patrum; accuratæ, Doctorum summæ, dissertationesque; Philosophorum celebriorum sententiæ communi consensione firmatæ. Nisi quis adeo sublimi ingenio, memoriaque polleret, sanctitate excelleret, divino lumine adjuvaretur, assiduoque studio incumberet, ut ab ipso Scripturarum fonte perfectam illorum posset intelligentiam haurire, ut S. Bernardo, ac Lopesio contigisse diximus *q.* 1.

2. Lo-

2. Lopesius ergo juxta D. Bonaventuræ sententiam : *Qui vult scire querat scientiam in fonte* rectè se gesit quoad primam Ordinis partem. *Nam roganti discipulo Fr. Joanni quommodo ad tantam ascendisset Bibliorum intelligentiam* ? Respondit ; *quod tempore quo secessit in Provinciam Guasteca, cum semper in legendo, & relegendo Biblia fuisset occupatus ; ibi ut illa intelligeret, & è Latino in Hispanum verteret, concessit illi Dominus &c. Habereque prompta memoria omnia quæcumque in Bibliis contenta, & in quo libro, & capite tam veteris, quam novi Testamenti, & in qua parte Capituli contineantur &c. quod verum esse in multis, & difficilioribus testimoniis, quorum explicationem in vero, & proprio sensu ab eo accepit, expertus est, & quam merito cum S. Hieronymo in exponendis Sacris Scripturis conferretur.*

QUÆSTIO XVI.

Quæ documenta pro ejusmodi prima ordinis parte tradiderit S. Bonaventura ?

1. Quinque recensuit documenta S. Bonaventura. 1. *Quod Discipulus Christi studere debet sicut pueri primo addiscunt a, b, c, d, &c. postea syllabicare, & postea legere, & post quid significat pars similiter in Sacra Scriptura*. 2. Quod *debet studere in Textu, & ipsum habere in promptu*. 3. Quod *intelligat quid dicitur non solum per nomen, sicut Judæus, qui semper tendit ad litteralem sensum, sed etiam per spiritum*, vel sensum spiritalem. 4. Quod *sensus spiritalis esse idem debeat, qui a Propheta, vel alio intenditur*. 5. Denique *quod magna cautela Biblia legat* : ideſt cum consensu plurium inter se testimoniorum, atque utriusque testamenti concordia. Hinc perpulchrè Sacram Scripturam citharæ comparat, cujus *sicut una corda per se non facit harmoniam, sed cum aliis, similiter unus locus Scripturæ dependet ab alio: imo unum locum respiciunt mille loca*.

2. Hæc omnia præstitisse Ven. Lopesium constat tum ex eo quod *sciret an talis sententia esset Sacra Scriptura necne : ubi talis auctoritas reperiretur, & cognosceret an bis vel pluries & qua diversitate textus aliquis repeteretur* : tum ex eo quod

consultus proferret verum & proprium sensum: *& de quolibet loco aut sententia rogatus celeritate & promptitudine mirabili semper occurreret*, ut firmissimis documentis probat auctor *hujus operis qq.* 23. 36. *&* 47.

QUÆSTIO XVII.

An aliquid ceu parvum & inutile a Bibliorum studioso possit prætermitti?

1. AUctoritate Chrisostomi *hom.* 1. *ad Pop. Scriptura pratum est, & Paradisus, & quæ in ea videntur parva, maxima sunt.* Et addit Cassiodorus *Instit. cap.* 24 *Etsi simplex videatur relatio, nihil vacuum divinis literis continetur, sed semper ad utilitatem nostram dicitur, quod rectissimis sensibus salubriter hauritur.* Quia, ut inquit Bernard. *Serm.* 16. *in cant. Scripturæ sunt apothecæ Spiritus Sanctus cui non est fas vel modicum quid adscribere otiosum, vel, secus quam oportuerit, dictum.* Quapropter si quædam a Christo Domino *jota* appellantur, comparative ad majora, non minima in se intelliguntur. Item si quæ minus utilia videntur imo periculosa, multum tamen fructum continent, dum eo fine narrantur, ut vitia fugere, & amare virtutem suadeant.

2. Integra Biblia discutiebat Lopesius, meditabatur, introspiciebat: in quolibet non solum capite aut linea, sed verbo etiam mysteria dogmata eliciebat; documenta, sententias ad laudem Dei, ad suam & proximi utilitatem hauriebat: ideoque *dum de qualibet re etiam naturali loquebatur semper aliquid ad ædificationem spiritus & doctrinas valde sublimes stabiliebat*: ut testatur Socius *cap.* 10. *vitæ*.

QUÆSTIO XVIII.

An ab aliquo potissimum Libro, seu Capite Bibliorum studium sit inchoandum?

1. COnsentiunt omnes, quod Bibliorum studio non præpostere, aut perturbate, sed certa lege ac successione vacandum sit, eos imitando, inquit Cassiodorus *Præf. Instit. Divin.*

vin. Lect. qui corpoream desiderant habere sospitatem. Nam, qui sanari volunt, a medicis quærunt quas escas primum, quas secunda refectione percipiant, ne tenuissimas vires debilium membrorum oneret potius quam reficiat confusa voracitas.

2. A qua vero Bibliorum parte sit inchoandum, discrepant Sancti Patres: quidam a Veteri, plures a novo Testamento existimant. Ii sunt Ambrosius, & Cassiodorus, quamquam circa locum præcisum scindantur. At vero hos inter Chrisostomus *serm. 3. de Lazaro*, Basilius, Villavicentius, aliique adsciscuntur, suadentque potissimum; quia novum Testamentum clariora, utiliora, magisque necessaria complectatur, eamque rem confirmant exemplis illorum, qui ex novi Testamenti lectione maximos fructus reportarunt.

3. Lopesius novo Testamento maximè deditus fuit. Testatur enim P. Fr. Franciscus Suarez, cui consonat depositio P. Fr. Joannis de S. Jacobo, *quod sibi roganti quomodo Biblia intelligeret, & in hispanum quasi cursim legendo verteret?* respondit vir Dei *commorantem in Guasteca .... commendasse de verbo ad verbum tenaci memoriæ quæcumque in Bibliis continentur, & in quibus libris, & capitulis tam veteris, quam novi Testamenti, & in qua parte capitis recensentur &c. sed licet omnia mandare memoriæ, & intelligere curavit; Præsertim Epistolas S. Pauli.* Vide etiam *q.* 23. *hujus synopf.*

QUÆSTIO XIX.

An commentaria SS. Patrum sint a Studioso Bibliorum consulenda?

1. AD aliqualem Literæ Bibliorum intelligentiam non est opus commentariis, sed sufficit Biblia diligenter attenteque perlegere, animoque versare, significationem vocis cujuslibet propriam invenire. Nam sicut aromata, inquit Chrisost. *hom. 13. in cap. 2. Genes. quanto magis digitis atteruntur, tanto majorem natura sua fragrantiam reddunt: ita & in Scripturis, quanto quis amplius tractare studuerit, tanto magis videre poterit latentem in ipsis thesaurum.*

2. Sed ad perfectam mysteriorum, seu spiritus Bibliorum in-

intelligentiam commentaria SS. PP. ſunt evolvenda. Iſti enim in conſcientiæ puritate ambulantes coram Deo, oratione, jejunio, precibus, labore curarunt, & ſuo quodam jure vindicarunt, ut ex hoc fonte profunda quædam haurirent, & in rebus etiam planis altiſsima detegerent. Quapropter *oportet nos currere ad eorum originalia*, docet S. Bonaventura, *quoniam non poteſt homo ad hanc intelligentiam pervenire per ſe, ſed per alios quibus Deus revelavit*. Atque in his originalibus quamvis aliqua poſsit eſſe deceptio, ut ex SS. Dionyſio, & Auguſtino colligit idem Seraphicus Doctor; ex alio tamen, aut aliis Patribus omnis facile deceptio rejicietur.

3. Commentariis SS. Patrum non indigebat Lopeſius, quia eum *tamquam dotibus Deus illuſtravit intellectu quoad naturale ſupra modum magno, ſingularis comprehenſionis, & acuminis, talique memoria, ut eum aliquoties affirmare audierim, nunquam ab ea excidiſſe aliquid ex his, quæ aliqua cura ei commendaverat*, ut teſtatur *Socius cap. 17 vitæ*: Præterea divina revelatione cognoviſſe permulta conſtans eſt omnium ſententia. Nihilominus SS. Patres data copia conſuluit, cum depoſuerit 22. *April.* 1622. P. Fr. Franciſcus Suarez rogatum ſe fuiſſe ab Gregorio, ut *ei legeret Latinum Euſebii Cæſarienſis commentarium in Apocalypſim, idque factum a viro Dei potius humilitate, quam qui lectione alterius indigeret*. Item ex Epiſtola Gregorii ad Loſſam conſtat, *quæſiſſe ab eo Hiſtoriales S. Antonini, Catalogum Sanctorum, & alios Auctores, ut eis ad expoſitionem Apocalypſis uteretur*. Evolviſſe etiam ſcripta Tauleri, & Ruisbrochii conſtat ex proceſſ. *fol.* 31. relat. ab Auct. *hujus Oper. q.* 96.

QUÆSTIO XX.

An Scholaſticorum Doctorum, ſive Theologorum ſtudium præmittendum ſit ſtudio Bibliorum?

1. COmmunis ſententia docet ſtudium Theologicum eſſe ſtudio Bibliorum præmittendum, ut eorum perfectam aſſequamur cognitionem. Siquidem Villavicentius *lib. 2. de ratione ſtud. Theol. ab ipſis*, inquit, *Sacris Bibliis initium diſcendi facere volumus, modo Scholaſticorum doctrinis mediocriter*

ter instructus ad Sacrorum Bibliorum lectionem accedat. Habet enim Scientia Bibliorum cum Scholastica Theologia quasi quoddam commune vinculum, & cognatione quadam inter se continentur, adeo ut qui in Theologicis claruerint, etiam in Biblicis eruditi fuerunt: contra ii, qui ad Biblia sese contulerunt absque Scholasticæ Theologiæ fundamento, in maximos sæpe errores prolapsi sunt. *At cum in Scholasticis Doctoribus magnus aliquando sit error, vel quia credunt se habere, & intelligere originalia* (Sanctorum) *& non habent, neque intelligunt; vel quia eis contradicunt*, ut notat S. Bonaventura, idcirco periculosum est ad summas magistrorum descendere, si eorum sententiæ communes non sint, vel si a litera sacri textus abhorreant.

2. Lopesium ab Francisco Lossa petiisse Alphonsum de Castro contra hæreses & alios auctores constat ex eadem epist. cujus meminimus *q. præced.* Præterea *P. Francisco Suarez interroganti quomodo sciret multum ex Sacris Scripturis sine studio? respondit... Se plures libros evoluisse*, & ut declarat P. Fr. Hier. de Ocamp. Augustinianus *gaudebat plures libros legere, illosque videre anxie desiderabat, & duobus aut tribus diebus legebat, & restituebat Dominis*. Inter hos autem libros fuisse scholasticos doctores colligitur ex eo quod idem P. Fr. Hier. de Ocampo *proc. fol.* 104. *relat. ab auctor. hujus oper. q.* 21. testatur *vidisse se virum Dei a multis Personis cira differentes scientias communicari, & scivit in omnibus illis esse versatum ex magna formalitate qua de omnibus rebus differebat*.

QUÆSTIO XXI.

An studio Bibliorum adjungi studium Philosophorum oporteat?

1. MUltum prodesse studioso Bibliorum studium Philosophorum eo vel maxime ostenditur, quod Philosophi plura Sacræ Religioni consentanea, & moribus instituendis apta scripsere, proindeque ab eis tamquam ab injustis possessoribus vindicanda; ut docet S. Augustinus *lib. 2. de doctr. Christiana cap.* 15.

2. Attamen caute esse prudenterque legenda Philosophorum scripta admonet Seneca *epist. 2. In aliena* inquiens, *castra transire*

ſive aliquando prodeſt, dummodo non tranſeamus ut transfugæ, ſed ut exploratores. Et S. Baſilius docet more apum legendas eſſe, *quæ neque omnes pariter flores adeunt, neque quos adeunt eos totos abſumunt, ſed eo ſolo ablato quod operi ſuo aptum ſit*. Idemque indicare voluit S. Bonaventura illis verbis: *Apud Philoſophos non eſt ſcientia*: additque; Hieronymum qui poſt Ciceronis & Plauti lectionem abierat, ideo flagellatum: *Ne hac ratione populus revertatur Egyptum, & exemplo eorum dimittat aquas ſiloe, in quibus eſt ſumma perfectio, & vadant ad aquas Philoſophorum in quibus eſt periculoſa deceptio*.

3. Gregorium in Philoſophicis fuiſſe verſatum certo certius patet ex eo, quod multa in omnium aſpectum lucemque protulit de medicina, & ſecretis naturæ; de Agricultura, de virtutibus herbarum, earumque Proprietatibus. Item mathematicas, Geographicas, Aſtrologicas diſciplinas calluiſſe apparet ex documentis relat. *q. ſeq. & q.* 44. *hujus ſynopſ.* & *q.* 80. apud auctor. *hujus operis*. Et quadam die audiviſſe ſe d. Hier. Ocampo teſtatur Gregorium diſputantem cum Nauclero contendente ſydus ſeptemtrionale motu cavere. Contra vir Dei habere motum affirmabat, quod ut demonſtraret, conſtruxit artis nauticæ inſtrumentum, quo conſtitit evidenter motum habere: cujus ille demonſtrationis gratias egit.

QUÆSTIO XXII.

An ſtudio Bibliorum debeat humanarum artium ſcientia præmitti.

1. PErfectæ Bibliorum intelligentiæ plurimum conferre humaniores diſciplinas oſtendit tum publice erectum Alexandriæ ab Apoſtolorum diſcipulis Archigymnaſium omnis diſciplinarum generis, ut refert Euſebius *lib. 6. Hiſt. Eccl.* non modo ut Gentiles amore virtutis, & converſatione Chriſtianorum allicerentur ad fidem, ſed ut fideles ipſi falſas Infidelium, Hæreticorumque doctrinas confutarent, proſternerent, & Catholicæ Religionis dogmata ſtabilirent: Tum eventus, qui rem ipſam comprobavit. Nam inde Sapientiſſimi Bibliorum Interpretes, Theologique imprimis nobiles promanarunt, Pantænus ſcilicet, Ammonius, Heraclas, Origenes, Dydimus, Anatolius.

Tum

Tum denique universæ Ecclesiæ praxis, quæ in Academiis harum quoque disciplinarum Cathedras erigi semper curavit, ut per eas tamquam per gradus ad scientiam scientiarum juvenes perveniant. Nam quemadmodum, inquit Basilius *tract. ad Nepotes, solent tinctores, ut perfectum colorem panno inducant, inferiorem alium colorem præmittere super quo aptius exprimatur color ille perfectus, ita de Disciplinis humanis ante divinam scientiam præmittendis judicandum.*

2. Sobrie tamen ut naturalibus scientiis, ita humanis literis vacandum: ne scilicet per eas animus a studio Bibliorum avertatur; ne illis quis consenescat, ne a muneribus quisque propriis retardetur; sed eas ut Bibliis subjiciat, divina accuratius explicando, suavius alliciendo ad bene honesteque vivendum: uno verbo: humanarum usus litterarum commendatione dignus est, abusus tollendus.

3. Earum usum probare visus est Ven. Lopesius: quippe non res ipsas tantum noverat, sed mira de eis differendi arte pollebat. *Capit. enim* 17. *vitæ* legitur: *Erat Astrologus, Cosmographus, Geographus, & habebat globum & mundi mappam facta a se exacta & perfecta veritate, quæ ab insignibus magistris attente inspecta cum admiratione laudata sunt: Scientissimus in anatomia & structura corporis humani &c. De quibus omnibus repente consultus mirabiliter differebat.* Et *cap.* 18. vitæ relat. ab Auctor. *hujus oper. q.* 20. Habetur: *Licet ejus responsiones essent altæ & admirabiles, eas sine incremento & ponderatione proferebat, sed stylo planiori: ibique dissertæ elocutionis filum scindebat, ubi & interrogationi, & necessitati proximi se noverat satisfeciſſe.*

QUÆSTIO XXIII.

An mandare memoriæ Sacra Biblia sit necessarium?

1. QUo plura tum ex selectioribus, tum etiam ex minus selectis, non modo quoad verba, sed etiam quoad sensus, eosdemque multiplices sacrorum Bibliorum; quoad rationes etiam eorum memoriæ mandantur, eo laudabilius est atque utilius. Si enim memoriam excolere in aliis disciplinis datur laudi atque utilitati, tum illa ne pereat, tum ne labor perpe-

petuus in volvendis ac revolvendis libris ſubeatur, quanto ſatius quis excolendam in ea facultate, quæ ceteris dignior eſt, atque utilior, curabit?

2. Si quis tamen nec omnia prorſus, nec ſelectiora, imo nec ſelectiſſima ex Bibliis mandare memoriæ poſſit, documentum capiat a D. Auguſtino *lib. 4. de Doctr. Chriſtiana cap. 5. ſapienter diſcet tanto magis vel minus, quanto in Scripturis Sanctis magis minuſque profecit .... bene intelligendis, & diligenter eorum ſenſibus indagandis.*

3. Quam commendabilis, imo verò mirabilis in utroque extiterit Lopeſius probatur *ex proceſſu vitæ*. Quippe de ejus memoria præter adductas probationes, vel *cap.* 14. dicitur: *Omne hiſtoriale Sacræ Scripturæ memoria retinebat, & valde in promptu a prima uſque ad ultimam literam Evangelii Sancti Matth. & S. Joannis, & quæ iſti non dixerunt, ex aliis duobus ſupplebat. Similiter Epiſtolas S. Pauli, & Apocalypſim. Denique totius textus Sacri ita plenam habuit notitiam, ut de quolibet loco, aut ſententia rogatus, celeritate & promptitudine mirabili ſemper occurrerit.* Quantum vero pertinet ejus vim intelligendi, ac facultatem *cap.* 18. *vitæ* relat. ab Auct. *hujus Oper. q.* 20. habetur: *Reſponſiones ejus erant altæ, & admirabiles ... & cum multotics eveniret, ut ex dato reſponſo quatuor, aut quinque ſuborirentur concernentes difficultates, ſuper quas a circumſtantibus eruditis, & expertis interrogaretur, cuilibet inſtanti altitudine, & brevitate reſpondebat.* Vide hac in re *qq.* 45. & 47. *hujus ſynopſ.*

QUÆSTIO XXIV.

An Commentaria Bibliorum a quibuſvis Scriptoribus edita ſint conſulenda?

1. SAnctorum Patrum in Scripturas commentaria conſuli debere ſatis oſtenſum fuit *q.* 14. Jam verò contemnenda non eſſe recentiorum Catholicorum commentaria, quæ accurate cogitateque ſcripſerunt, ducti etiam pia affectione, & ſano conſilio, ſuadetur maxime, quod unuſquiſque pro viribus ſuis in vinea Domini laborans, opis aliquid, & copiam virtutis accipit a Spiritu Sancto ut nova poſſit proferre ad Dei gloriam, & proximi utilitatem.

2. Hæ-

2. Hæreticorum, ac Rabbinorum commentaria nullatenus adeunda nisi a Summis Theologis, ut qui sciunt, si aliquid nuclei sit, tamquam ab injustis possessoribus exipere; viridem amarum, & nocivum corticem abjicere. Minus tamen periculosa sunt Rabbinorum, quam Hæreticorum commentaria: Judæi enim quia noti hostes minus nocent, & rejecta eorum perversitas est per Doctrinam, & miracula Christi, Apostolorumque: Hæretici vero se habent ut occulti, ac domestici, ideoque multo graviores, quam extranei; magis subdole Scripturas depravant, & *his utuntur, ut meretrices ornamentis*, juxta phrasim Cyrilli *in Præf. Thesaur.* Modum habent arrogantem, lascivum, superbum, conviciis redundantem, veterum contemptorem, novitatum avidum ac sectatorem.

3. Juniorum quoque Catholicorum commentaria aliquot evolvisse Lopesium, valde probabili argumento est depositio P. Fr. Hier. de Ocampo relat. *q.* 20. *hujus synopſ.*

QUÆSTIO XXV.

An studiosus Bibliorum vivente magistro uti debeat?

1. QUoniam teste Dionys. *lib. Cæl. Hier.* Inferiores Angeli ab superioribus illuminantur: & D. Paulum eapropter altum ascendisse Bibliorum tradit Bonaventura, *quod didicerat legem ad pedes Gamalielis*: dubitandi locus non est, ad sublimem Bibliorum intelligentiam, magistri viventis opus esse institutione. *Habet enim nescio quid latentis energiæ viva vox, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat*; inquit Hieronymus *epist. ad Paulin. Nam licet acriora sint, quæ legas* (Plinius Jun. *lib.* 2. *epist.* 3.) *altius tamen in animo sedent quæ pronunciatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis affigit.*

2. De Catholico hæc esse dicta volumus magistro. Nam sicut periculosa Rabbinorum lectio, ita & institutio. *Habent enim Judæi panem, sed absque fortitudine, habent aquas sed absque robore.... tenent membranas, & Christum, qui in membranis scriptus est, perdiderunt*, inquit Hieronymus *in cap.* 3. *Isaiæ.* Multoque periculosior censetur Hæreticorum institutio, quemadmodum lectio. *Cavendum*, inquit Ambr. *lib. de Parad. c.* 12. *Ne scripturæ discantur ab hæreticis docentibus.*

3. Si D. Hieronymum objicias Apollinario Laodicensi Hæretico auscultasse, & Barhanina Judæo præceptore usum fuisse; scito, Hieronymum *cum illo nunquam contentiosum dogma suscepisse; quod nescivit didicisse, quod sciebat, eo docente, non perdidisse*: Ex hoc verò *rigorem hebraici sermonis & intelligentiam, excusso Judæorum errore, caute suscepisse, ut ad Pamach. de error. Orig.* ipsemet scribit. Sed quis tam moderate, tam caute se gesserit, sicut Hieronymus?

4. Vir promptissimi ingenii, acerrimique fuit judicii Gregorius, & tamen doceri sese a viventibus magistris exoptavit: dum *cap. 19. vitæ* legitur: *Quod a doctis sensum hispanum Testimoniorum scripturæ rogare solebat*. Ita vero, ut quæ intellexerat haud amitteret; imo nec pateretur, ut quidam animo, *arguendi aut tentandi illum interrogarent*. *Nam cum P. Fr. Antonius de Avila* relat. ab Auct. *hujus operis quæst. 20. ad Gregorium venisset animo curioso, & intentione disputandi cum eo super aliquibus ad Sacram Scripturam pertinentibus .... Gregorius occurrit ei respondens, se non disputare, nec aliud scire, nisi id quod Deus illi intelligere concedebat; subinde ut quam mente habebat, mutaret intentionem*. Alia item die *cum inter tres religiosos ageretur de intelligentia Apocalypsis; Vidi Cælum novum &c. Ecce nova facio omnia &c. quæstionem proposuerunt Servo Dei*. Quibus tantum respondit. *Esso allà lo vedremos*, ut habetur *fol. proc. 90.* relat. ab auct. *hujus oper. q. 103.* qua brevi responsione ostendit 1. sibi non placere, ut contentiosè de opinionibus ageretur 2. ne altiora se curiosius quærerent. 3. Ne de his, quæ super Apocalypsim ipse disseruerat, ut a Deo acceperat, controversia oriretur?

QUÆSTIO XXVI.

An studium Bibliorum cum Collegis & Condiscipulis iniri debeat?

1. QUam laudabile, atque utilitatis plenum sit studium Bibliorum cum Collegis inire, ex his facile eruitur quæ diximus *q. 22. hujus synopf.* Siquidem primis Ecclesiæ sæculis ad hæc usque tempora invaluit mos, Academias publicas erigendi, in quibus multitudo studiosorum conveniens, atque in-

invicem congressa lucem veritatis velut a tenebroso specu educat, ut loquitur Villavicent. *de rat. stud. Th. cap.* 6. & discat etiam in adolescentia errores refellere, vera dogmata munire ac tueri; ut tradit S. Augustinus *epist.* 119. *ad Januar.* Hinc quibus generale studium deest, saltem aliquot amore Bibliorum accensos comparent socios, & veluti Academiam privatim, ac domestice instituant, alternique lectiones in Bibliis assignatas repetant, statis diebus differant, in obscurioribus eximium aliquem ludi magistrum adeant, aut litteris consulant exemplo SS. Augustini, & Caroli Borromæi: quorum ille cum Licentio, Trigosio, Navigio, Alipio, Nebridio, aliisque doctissimis tum in mensa, tum in cubiculis, tum in horto de rebus divinis, & amanter conferebat, & acute disputabat, & si quis dubitandi locus esset, ad Hieronymum, aut Ambrosium deferebat. At vero S. Carolus in conventu sapientum proponere solitus Politicam, moralem, aut Theologicam quæstionem, data cuilibet quidquid visum esset dicendi facultate; tum de re proposita judicium ferebatur: Atque ex hac praxi omnes sibi incredibilem scientiam compararunt.

2. Lopesius instituto Silentiarius & Eremita licet in nullam aut publicam, aut privatam Academiam ex condicto sese reciperet: ab iis tamen, qui ad eum undique confluebant, ut de re quapiam consulerent, postulasse ipsorum sententiam, & suam declarasse constat maxime ex eo, quod jurejurando deponit Licentiatus Gaspar de Prabes *fol.* 117. *proces. Festo quodam die Dominæ nostræ dicato Doctorem Ferdinandum Hortiz de Hinojosa, & aliquot viros litteratos late disputasse, an S. Deipara quando viatrix in corpore mortali vivebat, vidisset divinam essentiam. Doctor Hinojosa a viro Dei Gregorio, qui tacens audiebat, rogavit .... ut suam declararet sententiam .... Tunc Gregorius respondit B. Virginem, dum erat orationi intenta, vidisse divinam essentiam, quo audito omnes tacuerunt.* Item quoties opus erat, contra hæreses disputabat, argumenta eorum solvebat Scripturæ & Patrum testimoniis: ut probat auctor *hujus operis q.* 12. Item quoties honor Dei, & proximorum utilitas postulabat, servato semper Nesterotis documento: non ad ostentationem, non docendi prurigine, sed ad veritatem declarandam, ut habetur *capp.* 7. *&* 21. *ejus vitæ: Postquam exivi in solitudinem omnes ut meliores me, & sapientiores æsti-*

mavi, & ita nulli nisi a me petenti consilium dedi, nec me unquam aliorum magistrum exhibui.

QUÆSTIO XXVII.

An viva vox Magistri, & cum Collegis disputatio suppleri possit interpretum lectione?

1. PRæter auctoritates, & rationes quas supra adduximus multas, experientia docemur suppleri omnino non posse: Quæcumque enim difficilia, duce sapiente magistro, & exercitio collationis videmus ab exiguo ingenio præditis facile intelligi: contra vix attingi a clarissimis viris aucto etiam labore; si sine magistro, sociorumque adjumento per se studeant commentariis. Hinc sapienter nonnulli, ut Hieronymus, regiones peragrare, quocumque opus esset, petere instituerunt, ubi eos invenirent, quos audirent, quibuscum conferrent. Neque vero, qui hæc faciunt, alienis Biblia vident oculis, ut blaterat Lutherus, sed propriis alieno tamen lumine confortatis, neque humanum aliquid cum divinis comparant, sed istorum explicationi illud applicant.

2. Hujus rei veritatem facto comprobasse visus est Lopesius, ut præcedentibus quæstionibus singillatim expendimus..

CAPUT VI.

De his qui speciali ratione Officii, aut dignitatis ad studium Bibliorum magis obligantur?

QUÆSTIO XXVIII.

An nobiles strictius quam Plebæi teneantur studio Bibliorum incumbere?

1. QUoniam par est, ut institutio conditioni respondeat; porro viros nobiles & ingenuos decet nobilibus ingenuisque disciplinis institui, ut quemadmodum claritate generis, ita exercitii dignitate præstent populu-

pularibus. Cum ergo nihil dignius ſtudio Bibliorum eſſe poſſit, hinc maxime decet nobiles huic ſtudio operam dare; præſertim cum exemplo nobilium multi in eamdem inſtitutionem trahantur. Exemplo quidem inter alios extitit S. Ægidius Athenienſis, & Regiæ ſtirpis, qui a prima ætate Sacræ Scripturæ applicatus, omnem in ea curam, ſtudiumque collocavit.

2. Caveant tamen nobiles, ne plus æquo ſuam virtutem efferre videantur, præſertim coram Fœminis, & Vulgo; & ne ab aliorum ſenſu abhorreant, cum in difficiles Scripturarum textus inciderint.

3. Senſit Lopeſius Bibliis applicandos eſſe nobiles, cum ipſemet inſtituerit clariſſimum virum Ferdinandum de Vocanegra perilluſtris generis Marchionum de *Villamajor*, qui domum reverſus ab cognatis, amiciſque compulſus, ut hujuſmodi ſtudium deſereret, & ad equeſtrem rediret conſuetudinem, ſcripſit Lopeſio remedium conſulturus his verbis: *Amici mei & proximi mei adverſum me*: cui Lopeſius breviter, appoſiteque reſpondit eodem pſalmo: *Et factus ſum ſicut homo non audiens*. Hæc narrant Remon. *cap.* 14. *vit. D. Ferdin.* Et Davila *lib.*2. *hiſt. S. Dominici cap.* 56.

QUÆSTIO XXIX.

An Monachi ratione ſui ſtatus teneantur impenſius ſtudio Bibliorum vacare?

1. QUanta Monachis cura eſſe debeat ſtudio Blbliorum vacandi, colligitur tum ex verborum pondere quibus Tridentina Synodus *ſeſſ.* 2. *&* 5. *cap.* 1. *de reformatione* præcipit, ut in monaſteriis lectio Scripturæ Sacræ inſtituatur; tum ex communi neſcio qua opinione hominum, exiſtimantium, quodamodo ad ſolos monachos id pertinere. *Quando enim eos* (populares) *rogamus ut ad virtutem, labores ingrediantur, vel ſtudium adhibeant in ſacris literis legendis: non eſt hoc meum, dicunt: nunquid renunciavi ſæculo? nunquid monachus ſum?* (Chriſoſtomus *hom.* 21. *in Geneſ.*)

2. Attamen non tenentur Monachi æqualiter ſtudio Bibliorum ſeſe applicare. Simplicioribus namque, & ad ordines non promovendis modica lectio, ſeu Scripturarum auditio ſatis, *cum fletu pro ſe, & mundo, ut Domini præſtolentur adventum*; inquit Hieronymus *ad Riparium Presbyterum*. Promovendis vero præter

ter plangentis officium gravis oritur obligatio ex munere docendi. *Si clericatus te titillat desiderium, discas quod docere possis*: præcipit cuidam monacho Hieronymus: & *epist. ad Rustic. Monach.* inquit *nunquam de manu tua, aut de oculis tuis recedat liber; ama scientiam Scripturarum.*

3. Merito Lopesius supra modum Studio Bibliorum se dedidit, quia etsi non professione monachum, electione tamen Monachorum parentem, & perfectione magistrum omnes judicarunt: & quotquot ad eum videndum exibant, tamquam Macharium, Arsenium, & Joannem Baptistam intuebantur: P. Antonius Arias *dum iret ad Populum de S. Fide, ut præsentia, & conversatione Gregorii frueretur, dixit Socio P. Joanni Gallegos: Videbis hominem estaticum ex illis antiquissimis Anachoretis, qui olim exemplo suo deserta impleverunt.* Et P. Alphonsus de la mota & Scobar testatur *die 3. Novembris 1620. Priorem notitiam de Servo Dei Gregorio, sibi a Presbytero Cosma Garcia exhibitam; qui dum esset in Provincia Guasteca Servum Dei Gregorium vidit, & quoties visitavit, ab hominum conversatione segregatum reperit, in cubiculo stantem, adhærentem parieti, oculis attentis in Crucem adverso parieti depictam.*

QUÆSTIO XXX.

An clerici ratione sui status studio Bibliorum strictius obligentur?

1. SIve nomen, sive statum clericalem expendamus, præclarum quid, ac singulare, divinumque indicant. Propterea enim vocantur *Clerici*, ut dicitur *cap. Clericus 12. q. 1. vel quia de sorte Domini sunt; vel quia Dominus sors, idest pars clericorum est.* Sunt autem quoad statum clerici veluti *Reges*, idest *sese, & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent*, ut dicitur in *cap. Duo sunt 12. q. 1.* At cum dignitas status secum ferat altioris exercitii obligationem: profecto Clerici studio Bibliorum, quo melius digniusque inveniri nequit exercitium, strictius obligantur.

2. Quam turpe igitur, & eorum status dignitati indecorum esse putabimus, si a Laicis, imo Judæis ipsis, aut Hæreticis Bibliorum studio vincantur? Quid? si per suam segnitiem, & so-

cor-

cordiam irritos faciant tum hortatus SS. Hieronymi, Gregorii, aliorumque Patrum, tum præceptum Concilii Tridentini *seſſ. 23. cap. 18.* ut Clerici in Collegiis educandi *Grammatices, aliarumque bonarum artium diſciplinam diſcant: Sacram Scripturam, Libros Eccleſiaſticos, homilias Sanctorum?*

3. Non tamen par in omnibus clericis ſcientia Bibliorum requiritur: ſed in unoquoque ut excellentior dignitas, ut ætas, ut ingenium poſtulaverit: quod ſi admodum exiguum fuerit: conatus ſaltem, ac deſiderium non ceſſent, ut non ceſſet meriti ratio.

4. Hinc eo impenſius ſtudio Bibliorum incubuit Lopeſius, quo ſe magis divino cultui mancipatum agnoverat. Fuit enim ſi non tonſura, & gradu; operibus certe clericus fuit: quippe conſtat ex *proc. fol. 32.* relat. ab auct. *hujus oper. qq. 88. & 97. quod rogatus a P. Joanne Servus Dei, quid faceret ſi eſſet Sacerdos; reſpondit. Facerem id, quod nunc: replicavit Religioſus, quomodo ſe ad miſſam celebrandam præpararet; ille dixit, ut nunc me præparo.... ſum enim actualiter exhibens Deo quidquid habeo, nec amplius illi dare poſſum:* Fuit etiam de ſorte Domini Lopeſius, & ſors ejus Dominus fuit, quia ipſe ſemper poſſedit Dominum, ut poſſideretur a Domino. Vere clericus fuit, quia rex fuit virtutibus, ut ſeipſum regeret plurimoſque inſtrueret, opem ferret. Narrat enim P. Fr. Joannes de S. Jacobo *ſepe vidiſſe & ſciviſſe plures Perſonas ad Servum Dei Gregorium Lopez diverſis laboribus, & deſolationibus tum temporalibus, tum afflictionibus internis ad vitam ſpiritualem pertinentibus nimium vexatas concurrere, &... verbis quæ ei Dominus ſuggerebat, omnes conſolatione & ſatisfactione repleti, Deum in ſervo ſuo laudantes revertebantur.*

QUÆSTIO XXXI.

An Parochus ratione Officii debeat eſſe ſtudio Bibliorum verſatus?

1. CUm omnis Sacerdos ratione dignitatis debeat eſſe Bibliis eruditus juxta illud Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient verſatus, & legem requirent ex ore ejus:* Multo magis Parochus, qui præter Sacerdotii dignitatem habet etiam mu-

munus Pastorale, debet esse in Bibliis versatus. *Frequenter curam animarum gerentes inter missarum celebrationem exponant ex his, quæ in missa leguntur*, mandat Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 8. *de sacr. miss. & sess.* 24. *cap.* 7. *de reform.* præcipit Parochis, *Ut exponant sacra eloquia, & in lege Domini populum erudire studeant*. Quomodo autem poterit Parochus ex his, quæ in missa leguntur, Epistola scilicet, & Evangelio aliis exponere, sacra eloquia explicare, in lege Domini populum erudire, si ipse Bibliorum studio non sit apprime versatus? Nam quamvis hujusmodi expositio non fiat declamatorio Concionatorum more, neque ea arte, ac perpolita oratione, attamen sufficientia doctrinæ cum brevitate, ac facilitate sermonis conjuncta requiritur, nec suppleri per alios potest, cum a ratione officii sit inseparabilis.

2. Sciens Lopesius, quod non solum Parochis, sed *unicuique mandavit Deus de proximo suo*, non destitit unquam, quæ expedirent ad salutem animarum, declarare tamquam esset Officio Parochus. *Edoctus enim a cæleſti magistro, ut cap. 26. vitæ* habetur, *summam perfectionis consistere in observantia verborum illorum: Diliges Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum sicut te ipsum: ut hoc semper operaretur, ponebat omnes vires suas diligendo uno actu amoris Deum & proximum ad imitationem ipsius Dei*. Hinc ut testatur P. Fr. Joannes de S. Jacobo. *Quoties erat necessarium ad bonum animarum, videbat eas in ipso Deo, & necessitates eorum, ut indigentiæ cujusque remedia, & consilia applicaret*.

QUÆSTIO XXXII.

An Concionatores ratione sui Officii teneantur altiorem Bibliorum scientiam habere?

1. COncionatoris est docere gentes omnes sive doctas, sive indoctas ea omnia saluti animarum necessaria, quæ a Spiritu Sancto sunt tradita, nec proprio marte ea debet interpretari, sed juxta legitimum sensum ejusdem divini spiritus loquentis. Altiorem ergo habeat Bibliorum scientiam necesse est. Debet etiam Discretione, Prudentia, aliqua negotiorum forensium cognitione, gestu, voce, sermone, aliisque perfe-

fectionibus tum moralibus, tum ſcientificis, tum naturalibus eſſe præditus, ut habetur in cap. *oportet* 8. *q.* 1. Sed divinorum eloquiorum cognitio his omnibus præſtet; ſine qua nihil tutum, nihil Sanctum eſſe poteſt, ſed corruunt omnia cum magno plerumque detrimento audientium.

2. Sed videamus quomodo Lopeſius fuerit exactus ſilentiarius, & tamen egregius Concionator. Ad Prædicationem duo faciunt. Operatio ſcilicet & Doctrina. Operationem unum eſſe præcipuum docet Athanaſius *q.* 120. *in Script. Decet illum qui alios docet, imprimis operari virtutes, ita fiet ut aliis quoque poſſit impertiri dona.* Operatio virtutum tanta fuit in Lopeſio, ut earum ſplendore totum orbem illuminaverit. Contemptus rerum humanarum; parcitas victus, ſomnique; indumenti vilitas, habitationis anguſtia, jugis orationi & contemplationi vacatio, Charitatis in Deum proximumque intenſio; ſtabilitas fidei, firmitas ſpei, ac ceteræ omnes virtutes tantæ fuerunt in hoc uno, ut vix audeat quiſquam eas a Deo tacitus expoſtulare; ne dicam, *vix legitur quod Deus majori, cum perfectione aliis Sanctis communicaverit*, ſi fides habenda eſt perdocto, piiſſimoque viro P. Fr. Joanni de S. Jacob. relat. ab auctor. *hujus oper. q.* 40. Quippe refert D. Alphonſus Peralta S. Fidei Quæſitor viden. apud auct. *hujus operis q.* 42. *ſe non legiſſe aut audiviſſe de viro aliquo, qui perfectius quam Gregorius Sanctum ſervaſſet Evangelium.* Doctrina alterum eſt quod ad Concionem facit. De hac ſane doctrina dici poteſt, quod de S. Baſilio protulit S. Greg. Nazianzenus *orat.* 20. *Non modo loquendo, ſed etiam tacendo, & aſpectu monitoris partes obibat.* Nam immanes, Barbaroſque homines Chichimecas ſilentio docuit manſuetudinem, liberalitatemque: ſilentio vocavit finitimos populos, docuitque innocentiam, honeſtatem, temperantiam humilitatem patientiam, omneſque pie vivendi rationes, & proprii ſtatus obeunda munera. Teſtatur enim, ut alios prætermittam, P. Petrus Sarmiento relat. ab auct. *hujus oper. q.* 84. *quod cum virum cæleſtem intueretur ..... exemplo recollectionis ejus exultabat cor ſuum, ut gaudens ſuam obligationem adimpleret in hoſpitali Guaſtepec.*

QUÆSTIO XXXIII.

An Theologiæ Doctor ratione ſui ſtatus teneatur impenſius Bibliis ſtudere?

1. COnſtituturus Apoſtolos Chriſtus Dominus Doctores mundi, & cunctarum gentium, *Lucæ* 24. habetur: *Aperuiſſe illis ſenſum ut intelligerent Scripturas*. Praxis etiam Eccleſiæ ſemper extitit, extatque etiam nunc, ad Licentiaturæ, & Doctoratus gradum promovendos, in Bibliis quantum profecerint, inveſtigandi, examinandique. Et quoniam Theologiæ ſcientia, habere alias debet inferiores quibus præſit, & a quibus pareatur: hinc Peritiam Dialecticæ, Metaphyſicæ, aliarumque naturalium diſciplinarum poſtulant quidam a Theologiæ doctore, ut ad diſſerendum & judicandum poſſit adjuvari. Nam, ut obſervat D. Auguſtinus *lib. 2. de Doctr. Chriſt. Logica & Philoſophia ad omnia genera quæſtionum Theologiæ Scholaſticæ, quæ ſunt pertractanda ac diſſolvenda, gradum faciunt*, & Scholaſtica Theologia, ut ars nautica eſt, qua poſſit quis fluctibus maris profunditatum Sacræ Scripturæ ſecurius ſeſe committere, adeo ut ſine ejus peritia diſſerere de Sacris Literis ſit idem, ac in præcipitia ruere, & ſepiſſime offendere.

2. Mirum non eſt tam excellenti Bibliorum ſcientia Lopeſium fuiſſe præditum, quoniam a Deo miſſus eſt novi Orbis doctor. *Teſtimonium ferimus omnes*, inquit Socius *capp. 7. & 21. vitæ* relat. ab auct. *hujus operis q. 26. qui cum eo egimus, qui experientia cognovimus, ex hoc ipſo quod noluerit ſe alicujus magiſtrum exhibere, a Domino fuiſſe ordinatum, ut magiſter eſſet multorum*. Idque exemplo confirmat Licentiatus Gaſpar de Prabes *fol.* 117. *proc.* relat. ab auctor. *hujus oper. d. q. 26.* qui ſuam ita claudit narrationem. *Tanta erat Gregorii auctoritas, ut ſuum ipſe ſuum ſenſum declaraſſet, etiam doctiores acquieſcebant.* Et quidem merito. Nam teſtatur de ejus ſumma doctrina *cap. 7. vitæ* P. Alphonſus Sanchez Soc. Jeſu quod cum Epiſcopi Tlaxcalenſis mandato ſapientiam, & ſpiritum Ven. Lopeſii inveſtigaret: *Incæpit multis & ſubtilibus interrogationibus ad noſtram fidem, & doctrinam Chriſtianam ſpectantibus perſcrutari. Quibus omnibus clare, & diſtincte reſpondit nixus auctoritatibus Sacræ Scripturæ, referens hæreſes, quæ contra veritatem catholicam*

licam insurrexerunt, assignans tempora, & errorum capita, & Hæresiarchas, simul cum Sanctis Scriptoribus Ecclesiasticis & Doctoribus, qui hæreses impugnarant contra eas scribentes: quod tanto pondere sententiarum, & gravitate verborum expendit, ut Alphonsum in sui admirationem adduxerit.

QUÆSTIO XXXIV.

Quanta Bibliorum intelligentia præditus esse debeat Lectoralis Canonicus?

1. SAcrosancta Tridentina Synodus *sess. 5. cap. 1. de refor.* summopere hortatur, & præcipit, ab omnibus Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, ubi Clerus fuerit numerosus, Sacræ Scripturæ Lectionem institui, *ne cælestis ille sacrorum librorum thesaurus neglectus jaceat*. Quomodo autem non dicam neglectus, sed contemptus non jaceret, si Lectorem parum Bibliis instructum, aliisque etiam scientiis, quibus altissimæ quæstiones melius solvantur, & difficilia quæque distincte & ornate explicentur, præditum non haberet? Hinc jure Pontificio Sancitum est, ut Lectoralis Canonicus per concursum eligatur, concursus autem strictius examen importat, strictius vero examen clariori ornatum scientia petit eligendum.

2. Non gradu aut honore, sed exercitii labore, non per concursum electus sed divinitus constitutus optimi Lectoris munus obivit Ven. Lopesius. Biblia enim tamquam omnia sua secum portans incessanter legit, relegit, meditatus adeo est, ut a sapientibus interrogatus latentia aperiret, obscura detegeret, mysteria pervaderet, semperque adeo visa sunt probari, ut ad laudem Doctorum Ecclesiæ, ac præsertim D. Hieronymi pervenirent, ut testatur P. Joannes a S. Jacobo relat. ab auctore *hujus operis q. 15.* & P. F. Emanuel de Reinoso, relat. ab eod. auct. *quæst. 36. operis*.

QUÆSTIO XXXV.

Quanta debeant Episcopi scientia, & studio Bibliorum excellere?

1. NOn modo eximia Bibliorum scientia pollere debet Episcopus, sed totis viribus pro accepti talenti mensura ad superexcellentem contendere usque dum vixerit. Primum ostenditur ea ratione, quod Episcopi consecrationi examen, interrogatioque præcedat *an sanctarum litterarum peritus sit* ? ut in Concilio Carthaginensi 1111. *cap.* 1. legitur; & S. Hilarius *lib.* 8. *de Trin.* inter cæteras virtutes maxime doctrina vult Episcopum præstare; *summa*, inquiens, *omnium virtutum Episcopalium est scientia & doctrina*. Alterum vero probatur auctoritate Apostoli, qui 1. *Tim.*4. 13. eum admonet, ut quamvis *esset assecutus suam doctrinam, adhuc attenderet lectioni & exhortationi, & doctrinæ*. Et *v.* 16. repetit: *attende tibi & doctrinæ; insta in illis, sic enim te salvum facies, & eos qui te audiunt*.

2. Quare dum sufficiens in Episcopo intelligentia Bibliorum a Sanctis Patribus, & Canonibus postulatur, sufficientia talis esse debet, ut *omnem Sacram Scripturam, Psalterium imprimis, Evangelia, Epistolas, Sacrosq. Canones noverit*, quò possit exercere, & exerceat officium doctoris ut ex Apost. *ad Tim.* statuit septima Synodus. *Non enim oportet*, ut in Concilio Meldensi habetur, *eos qui Episcopi sunt, indigere doctrina, sed aliorum esse doctores*, quippe Ecclesia Episcopo commendata jure suo petit ab eo Scripturarum intelligentiam.

3. Lopesius non modo ad omnes Episcopalis scientiæ gradus pervenit, sed longe etiam transcendit. Non enim dicam amplius hoc loco, quàm cum Sapientissimi diversarum Urbium Archiepiscopi Dominicus de Salazar, & Petrus Montoja de Contretas eum convenerint, ut audirent, & num vera essent quæ dicebantur de singulari vitæ ejus doctrinæque ratione, cognoscerent; ita de rebus Theologicis, Mysticis, Naturalibus, Historicis ipse disseruit, *ut adolescentem a Deo eruditum, & seipsos studiis licet cultos, nihil tamen scientes affirmarint*. Quemadmodum legitur *vitæ cap.* 17.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXVI.

Quanta Bibliorum intelligentia Publicus eorum interpres pollere debeat?

1. PUblico Bibliorum Interpreti magnam Bibliorum intelligentiam tum quoad extenſionem, tum quoad intentionem adeſſe oportere docet S. Bernardus *ſerm. 28. in cant.* comparans illum conchæ; ut hujus ſimilitudine oſtendat tanta Bibliorum intelligentia abundare debere, ut in alios etiam redundet. *Concham te exhibeas, & non canalem; hic ſiquidem pene ſimul & recipit, & refundit: illa vero donec impleatur expectat, & ſic quod ſuperabundat, ſine ſuo damno communicat.* Labori item nulli parcendum ab interprete eſt, ut ad eminentiorem adhuc ſcientiam pro viribus ſcandat. Locus enim in quo aliquis verſatur quanto altior eſt, tanto digniorem exigit poſſeſſorem. Cathedra autem re, & nomine ſellam indicat ſublimiorem: Interpres igitur qui eam occupat, tenetur ſe magis magiſque ea dignum reddere.

2. Adjutus vero publicus hujuſmodi Interpres tum aliarum ſcientiarum veluti famulantium peritia, tum orationis & humilitatis: tamquam duplici manu perveniet ad hanc intelligentiam ſuo muneri æqualem; tumque fiet, Sacram Scripturam ad arbitrii ſui ſenſum ne contorqueat contra eum, quem tenet ac tenuit S. Mater Eccleſia, aut communis SS. Patrum conſenſus, ut præcipit Sacroſanctum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 4. de edit. Sac. Libr.* Poterit tamen novos inde ſenſus educere præter eorum conſenſum, ut notat Azor. 1. *p. Inſtit. moral. lib.* 8. *cap.* 2. *q.* 3. & ſupra probavimus de Scriptoribus Catholicis *q.* 24. *hujus ſynopſ.*

3. Sed utrum Lopeſius ad culmen maximum ſcientiæ Interpretis Bibliorum, & quomodo pervenerit, inquiramus. Religioſiſſimi, doctiſſimique PP. FF. Emanuel de Reinoſo, & Joannes de S. Jacobo, aliique cum in deſertum exibant Gregorium conſulendi gratia, *interpretem maximum S. Hieronymum ſe audiviſſe aſſerebant, ut ſupra oſtendimus.* Et Franciſco Loſſæ Religioſus quidam Bibliorum interpres confeſſus eſt, ut habetur *cap.* 14. *vitæ, ſe cum nullo viro de rebus ad Sacram Scripturam pertinentibus tam caute agere quam cum Gregorio Lopez.* Sed qui-

quibus gradibus tam ſublime aſcendit Gregorius? eiſdem omninò, quibus David *ſuper ſenes intellexit, ac ſuper omnes docentes ſe:* quia nimirum *teſtimonia Domini meditatio ſua erant* (*pſal.* 118.) Scimus namque te, Gregori, *clare præſentiam Domini noſtri mente geſſiſſe ... intenſo Dei amore, & proximi ſociatam. Hæ erant tuæ orationes, hæ tuæ meditationes, hic erat panis quotidianus, quo religioſa tua anima reficiebatur*, ut *ex cap.* 10. *vitæ* probat Auctor *hujus Operis q.* 13. & alibi paſsim.

QUÆSTIO XXXVII.

Qua Bibliorum peritia debeat Summus Pontifex exornari?

1. RAtio Hierarchiæ poſtulat, ut ſicut in triumphanti Eccleſia ſuperiores Angeli illuminant inferiores, ita in militanti præſtantes honore, dignitate, ac poteſtate viri lucem effundant ſuper humiliores. Nullus autem honore, dignitate, poteſtate eſt major Pontifice. Oportet igitur eum ſumma Bibliorum ſcientia exornari. Quia vero nequit homo ad ſummam hanc Divinorum cognitionem pervenire proprio dumtaxat labore, hinc a ſupremo Patre luminum debet Pontifex aſſiduis precibus ſtudio tamen conjunctis poſtulare, tumque Deus illi *dabit os & ſapientiam* ad Eccleſiæ regimen, & populi utilitatem. Incipientibus enim ponere, quod in ſe eſt, *perficiens omnis vis & ſcientia a divina bonitate Pontificibus datur, ut præditi ſint omnium ſacrarum interpretationum*, inquit S. Dionyſ. *lib. de Celſ. Hierarch.* Hæc in Summo Pontifice BENEDICTO XIV feliciter Petri clavum tenente miramur, qui cum ſibi ab adoleſcentia ſuaſiſſet, nihil eſſe tantopere curandum, quam animos noſtros doctrina ſacra excolamus, in ea autem perſequenda omnes labores, omneſque cruciatus corporis parvi eſſe ducenda, tot ac tantis non recuſavit laboribus frangi, tot curis vigiliiſque exerceri, donec a Deo Optimo Maximo, cujus etiam opem, & copiam imploravit, merces tradita ea eſt, ut cum ætate creſceret facultas, ejuſque opera ſic probarentur a ſapientiſſimis viris, ut ad veterum Sanctorum Patrum laudem pervenirent.

2. At Lopeſium non dimittamus, qui ſcientiam Bibliorum Sum-

Summis Pontificibus necessariam ad equavit. Siquidem, quæ intellexit, nec absque summo labore, nec sine afflatu divino intelligere potuit. *Ut experiretur P. Fr. Joannes de los Cobos Ordinis Prædicatorum num quæ de Gregorii sapientia vagabatur rumor, verus esset, rogavit Lopesium, ut brevibus saltem scholiis librum Apocalypsis illustraret, maxime quia cum Cajetano aliisque sentiebat, ad expositionem, & intelligentiam hujus libri Prophetam requiri, nec sufficere interpretem. Vir Dei mirabili brevitate, claritate, & profunditate explicationem absolvit paucis diebus, & ad Religiosum Mexici degentem misit. Hic tum propter brevitatem temporis, tum propter dilucidam mysteriorum explicationem, in admirationem adductus, obtulit S. Inquisitionis Tribunali, ne aliquid in eo offendiculi esset. Videndum probandumque committitur oculatissimo Qualificatori R. P. M. Fr. Petro de Augusto Augustiniano Episcopo de Cebù. In parvo opusculo magna reperit commendatione dignissima, judicavitque opus prælo mandandum in communem proximorum utilitatem.* Hæc testatur R. P. Doctor Petrus de Hortigiosa Soc. Jesu. Eique cohæret depositio Reverendissimi Episcopi Guaxaquensis relat. ab Auctore *hujus Operis q.* 108. *qui fol. proc.* 83. inquit: *Habuisse in manibus, & legisse declarationem, & expositionem super Apocalypsim Hispano Idiomate viri Dei Gregorii Lopez Catholicam, & doctissimam, ostendentem clare esse doctrinam, & eruditionem a Spiritu Sancto susceptam.* Ut enim animadvertit P. Joannes a S. Jacob. *fol.* 125. *proc.* relat. ab Auct. *hujus Operis d. q.* 108. *Servus Dei in re tam difficili, in qua SS. Patres, & Viri eruditi admiratione, & difficultate retracti, nec ausi scribere: ipse tamen prima manu commentarium perfecit.*

CAPUT VII.

De ſecunda conditione Studendi Bibliis nimirum Aſſiduitate.

QUÆSTIO XXXVIII.

Quanta aſſiduitate ſit Bibliorum ſtudio incumbendum.

1. REgula generalis eſt, ut unuſquiſque quo magis, vel minus donis naturæ, & gratiæ: ſcilicet intellectus, & vocationis ſtatus obligatur, majori etiam, vel minori aſſiduitate debeat ſtudio Bibliorum incumbere. *Impedimentum enim maximum eſt lectio vagabunda*, inquit S. Bonaventura, & affert exemplum: *Quomodo homo vidit faciem hominis ſemel, non ita perfectè poſteà recognoſcit, ſed quando frequenter vidit, poſtea cognoſcit: ſic de Sacra Scriptura, quia primo faciem obſcuram habet, poſtea quando frequenter videtur, efficitur familiaris.* Hinc quantum cæteris ad ſuas res, & negotia obeunda conceditur temporis, tantùm ad hæc ſtudia recolenda ſumere debent, qui illis obligantur, juxta illud Joſue 1. 8. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut cuſtodias, & facias ea quæ ſunt in eo.*

2. Neque aliquis putet aſſiduo Bibliorum ſtudio ſeſe in graviſſimas anguſtias, aut pericula mortis objecturum, cum potius rerum varietate, atque præſtantia tantum nobis Biblia ſuppeditent, ut in iis ex paſsionum tumultu reficiatur animus, & ex rerum humanarum adversâ fortunâ conquieſcat.

3. Quod ſanè expertus eſt Ven. Lopeſius. Unde enim putamus æquabilem illum, & uniformem, tranquillum, pacatumque vitæ ſine ulla offenſione curſum datum fuiſſe niſi *a lectione Bibliorum, qua de operando non ſolum per diem integrum, ſed etiam per omne tempus erudiretur*? ut teſtatur ejus Socius *fol.* 11. *proceſſ.* Et fol. *proceſſ.* 10. *&* 11. *apud Auctor. hujus Operis q.* 80. deponit medio juramento: *Quod notavit vitam ejus fuiſſe uniformem, & ex operibus cujuſcumque diei, quem incipiebat a lectione Bibliorum, menſes, & anni vitæ ejus poſſunt regulari.*

QUÆ-

QUÆSTIO XXXIX.

An Bibliorum cognitione apprimè instructus debeat ab eorum studio cessare?

1. De Bibliorum studio sentiendum, sicut D. Bernardus aliique SS. Patres de spirituali vita senserunt: nempè *Perfectum non esse, qui perfectior esse non vult*. Apprimè ergo instructus in Bibliis, verè talis non est, qui instructior esse non vult, sed ab eorum studio cessare. Longe enim plura cuicumque Bibliorum studioso remanent intelligenda, quam intellecta sint: ut SS. PP. de se ipsis licet in eo studio maximè exercitis tam humiliter, quam verè fassi sunt. *In sacris literis*, inquit Augustin. *epist. 119. ad Januar. multo plura nescio, quam scio*. S. Joannes Chrysostomus *hom. 19. in Act. etiamsi*, ait, *summum adhibeatur studium, maximeque diuturnum, semper tamen in Bibliis est, quod discatur*.

2. Quamvis summam Bibliorum intelligentiam, quantum homini in mortali vita liceat exoptare, consecutus sit Ven. Lopesius, ab eorum tamen lectione se nunquam avertit. Imò sicut eo, quo flagrabat amore in Deum, & proximum, magis ad amandum inflammabatur: ita qua eminentiori pollebat Divinorum scientia, magis ad ea investiganda excitabatur, propter eamdem quam SS. Patres habebant de Bibliorum dignitate existimationem. *Capit. enim 10. vitæ* habetur: *Propter respectum & reverentiam, quam divinis libris semper exhibebat, tanta continuatione, & assiduitate volvebat*.

CAPUT VIII.

De tertia conditione studendi Sacris Bibliis nempe Complacentia.

QUÆSTIO XL.

Quanta attentione sit Bibliis vacandum, ut complacentia sumatur?

1. Illud experientia compertum est: in quavis disciplina magis eum proficere, qui complacentiam inde sumit: hanc autem imprimis assequi, si studeat attente. Ut ergo in Bi-

Bibliis plurimum quis proficiat, opus est complacentia, quam tanto majorem inde sumet, quanto majorem attentionem impendet.

2. Summam vero Bibliis attentionem postulant tum majestas rerum, quæ in ipsis traduntur, tum modus quo traduntur. Dignitas namque rerum tanta est, ut, Augustino Judice, nullæ aliæ scientiæ, aut literæ, aut disputationes, aut leges humanæ cum hac divina scientia conferantur; quippe de Deo, de altissimisque mysteriis, deque ad salutem, & perfectionem vitæ humanæ necessariis differit. Modum vero non solum SS. PP., sed ipsi scriptores Ethnici summis laudibus commendarunt, ut Demetrius Phaleræus, & Aristæas apud Josephum *lib. 22. Antiq. c. 2.* Multa namque singillatim, dilucide, ordinate, nervose tradit, quæ ab omnibus facile intelliguntur. Plura vero, quæ captum humanum superant, proponit fide servanda, ne rationis experimento meritum excidat. Unde cum in cæteris disciplinis initio juvenes terreantur: *hæc*, Augustino docente, *& juvenes delectat, & fortes exercet.*

3. Dici vix potest quanta Lopesius attentione Bibliis studuerit, quam ex quatuor potissimum fontibus derivasse constat *ex ejus vita cap.* 10. 1. Nimirum ex magna reverentia, quam Bibliis exhibebat, ut *præced. q.* dictum est, quia sancta sunt, proindeque sanctè tractanda. 2. quia Deus illi, ut legeret, exhibuerat, proindeque Deo magistro obsequentissimus discipulus esse oportebat. 3. ex desiderio, magis magisque spiritualem intelligentiam assequendi, proinde, quæ semel legerat, iterum legendo curabat melius intelligere. 4. denique ex sibi proposito fine, ut in lectione fundaret quidquid sibi esset operandum. Quantam nunc ex tali attentione putamus complacentiam sumpsisse? Testis est Socius ejus Franciscus Lossa, quod Vir Dei, ut brevi somno duarum horarum indulserat, anxius *expectabat primæ lucis adventum, apertisque Bibliis lectioni vacabat, & ex ea, quæ meditanda sibi essent, deducebat.* Testis est literis, ac religione præclarus P. Fr. Joannes de S. Jacobo, *quod servus Dei Gregorius erat omni creato superior, & habebat statum medium inter eos, qui sunt in militanti, & triumphanti Ecclesia.* Tantam ergo sumpsit Gregorius complacentiam ex Bibliis, ut cum Augustino *lib. 9. Conf. c. 6.* exclamare posset ad Dominum: *Quas tibi voces dabam in Psalmis illis, & quo-*

& quomodo inflammabar en eis, & accendebar eos recitare toto orbe terrarum?

QUÆSTIO XLI.

Quanta sit inter Bibliorum, & Scientiarum naturalium studium complacentiæ differentia?

1. EAm adstruit S. Bonaventura inter Bibliorum, & naturalium scientiarum studium complacentiæ differentiam, quæ mannam inter, vilesque cibos invenitur. Hi enim unum, & quidem tenuem saporem habent, illa vero omnem saporis, dulcedinisque plenitudinem continet. Quamvis itaque nonnulli naturalium scientiarum studiis dediti, aliquam ex hisce fontibus complacentiam hauserint, adeo ut Empedocles interrogatus cur viveret, responderit: *Ut cælum aspiciam; tolle Cælum, & nullus ero*: Themistocles non attenderit, cum impetu, ac strepitu hostium civitas diriperetur; attamen non habebant, cur tantopere delectarentur, sicut qui ad Bibliorum studium se contulerunt, dummodo piam intentionem, & constantem adferant attentionem. Quippe hanc sequitur intelligentia, & intelligentiam amor, & amorem multiplex complacentia. Quapropter Bibliorum studium non laborem, sed laborum levamen putarunt ii, qui ad illud hoc modo sese contulerunt, ut Anglicana historia narrat de Ven. Beda, qui *septennis monasterium ingressus, ubi tota vita omnem meditandis Scripturis operam dedit, in ultima infirmitate penè jam animam agens dixit amanuensi: Accipe calamum, festinanter scribe (absolvere enim cupiebat in Evangelium Joannis elucidationem) & instar cygni complacens moriendo cecinit: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*

2. Quantam ex attentione complacentiam hauserit Lopesius, superiori quæstione commemoravimus: quantam nunc ex speciali affectu piaque intentione, quibus Bibliorum studio vacabat, paucis indicabimus. Ipse profecto fuit, qui juxta Augustini sententiam *timendo Deum, pietate, ac mansuetudine præditus, per sacra verba, quæ legebat, & meditabatur, quærebat voluntatem Dei*. Legitur enim *fol. proœss.* 27. relat. ab Auct. *hujus Operis q.* 87. *quod nunquam rem aliquam mundi*

desideraverat, sed magis uniri, & divinæ voluntati conformari, & illam in omnibus occasionibus cum omni exactione, & veritate adimplere. Et *fol.* 6. relat. ab eodem Auct. *hujus Oper. q.* 52. habetur. *Quod remedium contra omnia bella erat repetitio verborum: Fiat voluntas tua sicut in Cælo, & in terra. Et quæsitus a socio, quomodo illustraretur his verbis continuò; & an somno expergefacto statim hæc verba occurrere possibile esset? affirmativè respondit: addens taliter hæc verba occurrisse per trienniun, ut nunquam secundò respiraret, quin ante illa verba memoria volvisset. Et post triennium exercitio hujus meditationis ita fuisse provectum spirituali augumento, ut valde conformis voluntati Dei in omni, quod de eo disponere vellet, permansit.* Denique testatur P. Doctor Petrus de Hortigiosa *fol. process.* 54. relat. ab Auct. *Oper. q.* 76. *Quod adfuit circa tempus mortis Servi Dei, & vidit in eo quandam æqualitatem, & cum voluntate Domini nostri conformitatem.* Similia habentur *q.* 86. apud eundem *Operis* Auctorem.

CAPUT IX.

De quarta conditione studendi Sac. Bibliis, scilicet Commensuratione.

QUÆSTIO XLII.

Quid sit Commensuratio? Quique studio Bibliorum commensurari dicantur?

1. COmmensurari nihil aliud propriè significat, quam unum cum altero metiri, seu conferre. Per commensurationem itaque, quam Bibliorum studii conditionem assignat S. Bonaventura, intelligitur proportio, seu aptitudo subjecti nempe Hominis ad studium Bibliorum tamquam objectum. Atque hæc proportio ex multis, variisque capitibus repeti potest: principio autem ex facultate, seu viribus intellectus ad hoc studium. Et secundùm hanc rationem dicitur: *Non plus sapere, quam oportet*: hoc est non plus extendat se studiosus, quam possit facultas ascendere, nec infra maneat, quàm potest: ne præsumptione effe-

efferatur, & pusillanimitate dejiciatur. Unde observat S. Dionysius *de Eccl. Hier. cap. 6.* quod Seraphim mediis alis volabant; ut nec sistat homo infra quod potest, nec ascendat supra quod potest. Idque ostendit S. Bonaventura exemplo cantantis ultra vires, qui *nunquam bonam facit harmoniam*.

2. Commensuratio item attenditur a S. Bonaventura respectu temporis studio Bibliorum impendendi; ut qui totum quod habet reliquum temporis a propriis curis, officiis, & obligationibus vacuum, ad hoc studium excolendum sumpserit, commensurari videatur. Idque probatur exemplo SS. Patrum imprimisque Ambrosii, qui licet in regimine Ecclesiæ variis esset gravissimisque curis distentus, tamen admodum commensurari visus est, quia quod supererat tempus a negotiosiorum hominum causis, aliisque necessitatibus, huic studio consecrabat, ut narrat S. Augustinus. Quanto autem plus temporis negotiis & rebus externis subripuerit studiosus, & Bibliis applicuerit, tanto magis commensuratus eisdem habebitur.

3. Hac duplici ratione Gregorius ad Biblia factus, seu natura commensuratus fuisse cognoscitur. Quanta enim ingenii facultate præstiterit satis ex superioribus constat: quantum vero temporis studio Bibliorum conferre potuerit, contuleritque, ex solitariæ vitæ genere quam, Deo vocante, suscepit, satis innotuit *q.* 2. & infra confirmabitur *q.* 84.

QUÆSTIO XLIII.

An Pater-Familias studio Bibliorum teneatur?

1. CUm ad omne genus hominum referri studii Bibliorum necessitatem satis ostensum fuerit *qq.* 6. *&* 7. *hujus synops.* præcipue autem ad Patrem familias id pertinere suadetur eo vel maxime, quod jure teneantur liberos, domesticos, familiares instituere in Fide religione & disciplina morum, ut Sanctus Augustinus *tract.* 51. *in Joan.* explicans textum illum: *Ubi ego sum illic & minister meus erit* docet his verbis: *Paterfamilias suos omnes pro Christo, & pro vita æterna admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam: ita in domo sua Ecclesiasticum, & quodamodo Episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in æternum sit cum illo.* Unde licet Paterfami-

familias juri Patriæ Potestatis, Dominationis, Filiationis, servitutis studere, reique familiaris incolumitati consulere etiam debeat, non tamen studii Bibliorum cura neglecta. In tanta morum diversitate, inquit *ad fin. psal.* 50. Augustinus, *regite charissimi domos, filios, & familias vestras. Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis; sic ad vos in domibus vestris agere, ut bonam rationem de vestris subditis reddatis.* Proindeque debent omnia sua rectâ ratione disponere, ut studio ejusmodi commensurentur, nempe ut suum ei tempus tribuant, juxta dictum *sapient.* 9. *omnia tempus habent.*

2. Lopesius etsi ad excellentiorem viam vocatus a Deo, ut Sanctus esset corpore & Spiritu, & spretis quæ sunt mundi, solum ea, quæ Domini sunt cogitaret; attamen data opportunitate diligentissimi Patrisfamilias munus obivit. Nam, ut testatur Franciscus Lossa, *cum in domum cujusdam divitis secessisset, ut labore manuum, & industria in quocumque sibi assignato famulatu vile illud* (de Sajal) *indumentum compararet, receptus ad exercitium economi, rem disponebat Domesticis, ministeria distribuebat familiarium, sed in eo vere Paterfamilias quod omnes in Christiana Catechesi, & Sanctis Moribus attente, ac vigilanter instruebat.* Et cum in Eremum, comparato jam indumento, regressus esset, unicuique consilii copiam, & auxilii locum præbebat secundùm ejus status rationem, quemadmodum sedulus Paterfamilias non omnibus eadem onera imponit, non eadem omnibus agenda constituit. Nobilibus enim & dignitate constitutis ut *cap.* 15. *vitæ* habetur, dicere solitus, *quæ operamini, Dei amore operamini.* Judicibus, Literatis, Negotiatoribus respondebat: *In his quæ agitis, mutata intentione, proficietis.* Aliis denique rogantibus, *quid acturi essent, ut vitam æternam* consequerentur, ajebat: *Diligite Dominum Deum, & proximum &c.*

QUÆSTIO XLIV.

An Canonicæ, vel Cæsareæ Legis Peritus studio Bibliorum debeat applicari?

1. QUemadmodum, docente S. Th. 1. *p. q.* 1. *ar.* 5. omnes veritates creatæ a prima veritate dimanant, & regu-

gulantur, ita veritates scientificæ a veritate in Bibliis revelata proficiscuntur, & regulantur. Ergo Canonicæ vel Cæsareæ Legis Peritus studio Bibliorum applicari debet, cum utriusque facultatis scientia, sive demonstratio absque fundamento nequeat obtineri. Canones quippe, & Decreta Pontificum sunt Conclusiones Theologicæ, quas implicat sine Bibliorum intelligentia tamquam præmissis cognosci. Insuper jus Cæsareum licet a studio Bibliorum non tam immediate derivetur, sicut Canonicum, attamen ejus leges legum nomen haud mererentur, nisi cum divinis cohærerent, imo ad istarum firmitatem exigerentur. Nec refert, quod ad munia quædam obeunda satis idonei habeantur, qui utravis facultate præditi sint: sicut ad Episcopatum promovendos Concilia desiderant jure Canonico versatos. Concilia enim hujusmodi non desiderant ad Episcopatum afferri utcumque Canonibus instructos, sed qui Canones norint ex Originalibus Sanctorum deducere, & ex Sacris Litteris comprobare. Unde Navarrus *cap. 25. de pecc. magistr. & Doct. n. 58.* ait: *Ut quis perfectus Canonista evadat, opus est, ut Canonicæ prudentiæ non mediocrem legum, & Theologiæ adjungat eruditionem.* Omnes enim scientias contineri in una Sacra Scriptura, & per Scripturam omnes melius intelligi, docet S. Augustinus *lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 22.*

2. Expressa sui imagine rem Lopesius confirmat. Nam ex Bibliorum intelligentia adeo perfectam ceterarum scientiarum cognitionem adeptus est; ut non solum de pertinentibus ad Spiritualem vitam, sed in Politicis, Prudentialibus, Medicis, Geographicis, Cronologicis, Historicis, aliisque voce & scripto facem prætulerit Principibus, Rectoribus, Judicibus, & cujuscumque literaturæ viris, totumque orbem in magnam admirationem adduxerit, *quasi res omnes unico intueretur aspectu*, ut testatur P. Doctor Petrus de Hortigiosa. *Si enim coram eo agebatur de Historiis Ecclesiæ, & vitis Sanctorum referebat quæ contigerant & tempus exactè assignabat, inde ætatum mundi brevem & compendiosam scripsit Chronologiam. Si de diversis Provinciis Orbis, variis nationibus & moribus agebatur, minutatim gradus, & regiones declarabat &c. ac si Geographiæ per longum tempus studuisset*: Recolantur plura ex superioribus quæst. *hujus synops.* & ex *q. 90.* apud Auct. *operis*.

QUÆ-

QUÆSTIO XLV.

An Sacra Biblia facilia sint vel potius difficilia; proindeque omnium captui commensurari possint, nec ne?

1. BIblia quoad partem, vel quoad se tota considerari possunt. In Bibliis integris difficilia esse plurima, tradunt Irenæus *lib.* 2. *cap.* 47. Origenes *lib.* 3. *&* 7. *contra Celsum*. S. Augustinus *lib.* 2. *de Doctr. Christ. cap.* 6. S. Hieronymus *epist. ad Marcellam* his verbis. *Post summum, diuturnumque in Bibliis studium, summi etiam, atque ingeniosissimi homines opinati sunt potius aliqua se intelligere quam intellexisse*. In quibusdam Bibliorum partibus facilia occurrunt multa, si superficie accipiantur; quo sensu iidem Patres, ceterique in Bibliis *plana, lucida, minimeque ambigua* esse dixerunt. Puta, siquis legat: *In principio creavit Deus Cælum, & Terram*, statim colligit, Deum per Creationem Cælo, & Terræ dedisse principium. Si vero profunde introspiciantur; esse perdifficilia, & ingeniosissimorum hominum mentes exercere. Ut diligentius eumdem textum Geneseos consideranti statim occurrit difficultas, an illud *in Principio* significet *ante ceteras res*: vel *initio temporis*: vel *in Verbo divino*, ut Plures explicant.

2. Nemini dubium esse potest, Sacram Scripturam fuisse etiam Lopesio perdifficilem, quia juxta laudatum Augustini testimonium *juvenes delectat, & exercet fortes*: à Deo tamen suis votis, laboribus, precibusque facillimam impetravit. *Cap. enim* 14. vitæ dicitur: *Plures personæ eruditione præstantes ad virum Dei concurrebant, ut eum circa difficultates Sacræ Scripturæ interrogarent, & non solum responsis satisfacti revertebantur, sed admirati ex magnitudine mirabilium, quæ Deus servo suo dignatus fuerat communicare. Sed inter alios venit ad populum de S. Fide quidam Doctor Theologus qui paucis retro diebus interfuerat conclusionibus expositis in Coll. Mexicano Soc. Jesu defensatis circa intelligentiam verborum Zachar.* 3. *Ecce ego mitto Angelum meum &c. Et rogatus Gregorius de intellectu illius testimonii, tanta, & tam subtilia super intelligentia illius testimonii explanavit, ut Doctor affirmaverit a viris qui actui illi literario interfuerant, nec plura, nec talia tacta fuisse*. Et supra laudatus Petrus de Hortigiosa apud Au-

cto-

ctorem hujus operis *q.* 44. *deponit: se in magnam admirationem adductum ex sapientia servi Dei, & tantarum rerum comprehensione quam Deus illi communicasset.* P. Vides relat. ab Auct. *hujus operis q.* 47. ait *quod mirabiliter Biblia intelligebat nec ad invenienda eorum loca indicibus aut concordantiis indigebat.*

QUÆSTIO XLVI.

Unde possit quis agnoscere, se studio Bibliorum commensuratum esse, & quommodo huic commensurationi respondere teneatur?

1. Bibliorum studio se esse idoneum, sive commensurari quis agnoscet, si 1. animadverterit ad illud studium a Deo vocari. 2. A Præpositis, vel Parentibus excitari. 3. In aliis scientiis proficere; ut tradit Villavicentius *lib. 2. de rat. studii Theol. cap.* 1.

2. Pro modulo autem, quo is vocatur a Deo, debet huic studio applicari, ut vocationi correspondeat: exemplo Eunuchi Reginæ Candacis, qui cum specialiter ad Isaiæ lectionem motus fuisset, impensius Prophetam legebat, ideoque Philippum in Fide docentem promeruit. Item prout a Parentibus, vel quibuscumque Præpositis quis excitatur, & quantum sibi opis fertur; tanto magis tenetur huic studio operam dare; ex majori enim agendi copia, major oritur obligatio. Denique ut plus, minusve in aliis disciplinis profecerit, magis minusve debet in hac omnium maxima proficere, cum illæ isti comites sint, administræque, ut dictum est *q.* 15. *hujus synopf.*

3. Cum prope singularis fuerit Lopesii ad hoc studium divina vocatio (*fuit enim a Domino præventus valde diluculo*) eidem singulariter vacandum censuit, adeoque omnia bona pauperibus distribuens, sola Biblia sarcinam detulit; Parentes ac domesticos relinquens, sola Biblia comitem elegit. Sed quod mirabilius est, quanto minus a Præpositis fuit ad hoc studium excitatus (sexennis enim cum domo abiisset, vix liberalium artium rudimentis informari potuit) tanto magis proficiendum curavit, quia Dominum sibi præceptorem adscivit; qui, *ut pie credendum, voluit hunc servum suum educere de terra sua,*

& de cognatione ſua, ut alterum Abraham, tum ut fidem & obedientiam ejus experiretur, tum ut duceret in ſolitudinem, & ei loqueretur ad cor (*cap.* 10. *vitæ*) Idque fatetur ingenue Lopeſius ipſe *fol.* 3. *proc.* relat. ab Auct. *hujus operis q.* 79. *In Palatio fui amanuenſis aliquo tempore, ſed nec veſtimenta Aulica, aut Converſatio Curialis potuerunt me adducere, ut Domini noſtri obliviſcerer, aut ab interiori recollectione, ad quam me vocatum ſentiebam, recederem.*

QUÆSTIO XLVII.

An commenſuratio Hominum ad ſtudium Bibliorum ſit potius repetenda ex eo quod homines ſint, quam ex eorum ſtatus ratione?

1. COmmenſuratio hominum, qua tales, ad ſtudium Bibliorum generalis eſt, minuſque præcipua. Omnes enim homines, qua tales, capaces ſunt hæreditatis æternæ, proindeque commenſurantur ad Biblia tamquam ad univerſale teſtamentum, in quo voluntas Dei Patris declaratur pro ejuſmodi hæreditate adeunda, juxta illud *Rom.* 8. *Si Filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* At commenſuratio, quæ oritur ex eorum ſtatus ratione, peculiaris eſt magis minuſve, prout ſtatus cujuſque ratio magis minuſve peculiariter huic ſtudio videtur accommoda. Qui enim cauſas forenſes judicat, qui patrocinatur, qui negotiorum, qui nundinarum curis abſtrahitur non æqualiter ſtudio Bibliorum commenſuratur, atque is qui Parochi, Concionatoris, Doctoris, Epiſcopi gradum obtinet, ut ſupra oſtendimus *qq.* 31. 32. 33. 35.

2. Specialiter electus in hæreditatem filiorum Dei Gregorius, ſpecialem ſortitus eſt Bibliorum ſtudio commenſurationem, eique ad faciendum ſatis, juſſus a Domino in Eremum ſecedere, non ut lucerna lateret ſub modio, ſed ut luceret caliginoſo in loco. Audiamus pietate, ac doctrina præſtantiſſimos viros PP. FF. Emanuelem de Reinoſo, & Joſephum de Vides. Ille teſtatur *cap.* 10. *vitæ. Semel Gregorium conſului ſuper intelligentia novem teſtimoniorum Bibliorum, & quidem ex obſcurioribus ac difficilioribus, & mihi ea in ſenſu literali tanta explicuit proprietate, ut S. Hieronymus videretur.* Iſte vero

fol. 46. *processus* deponit : *Ipsum vidisse sicut & omnes, qui cum viro Dei agebant, quod Biblia mirabiliter intelligebat .... & cuicumque difficultati etiam a peritioribus propositæ respondebat, ut magis sapientes in præsentia ejus quasi insipientes viderentur, qui satisfacti & admirati remanebant; & idem erat in quacumque scientia, & facultate, de qua coram eo agebatur.*

QUÆSTIO XLVIII.

An Rex, vel Supremus Princeps studio Bibliorum commensurari possit?

1. REgiam dignitatem commensurari posse studio Bibliorum ex Deuter. *cap.* 17. *v.* 18. aperte colligitur. Regi enim, qui creari debebat, Deuteronomii Lex tradebatur, non modo ut servaret, sed etiam ut ei studeret, qua se ipsum dirigere, & alios posset. Cum enim *à regendo* dicatur Rex : in regendo autem proportio, mensura, & pondus esse debeant : Optime Bibliorum, quibus hæc continentur, studio commensuratur. Unde Salomon Sap. 7. 2. præcipue Reges invitat; ad eos dirigit Sermones suos, ut discant Sapientiam. *Audite ergo Reges, & intelligite, præbete aures vos, qui continetis multitudinem* & *v.* 10. *Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, ut discatis Sapientiam & non excidatis.*

2. Gregorius, ut Regem decet, in Bibliorum studio se gessit. Petiit namque ut Regius Vates à Domino intellectum, ut viveret, hoc est, ut seipsum regeret; rexit, cum ex lectione Bibliorum desumeret, quod in die esset operandum. Petiit a Domino, ut doceret alios vias suas docuit. Nam ut testatur Petrus Sarmiento *fol.* 95. *proc.* relat. ab Auct. *hujus oper. q.* 84. *Cum sæpe a Mexico ad Hospitale Guastepec mitteretur, loquebatur cum viro Dei Gregorio, qui dabat ei valde bona Consilia, & animabat, ut curaret servire Deo in pauperibus suis : & quoties discedebat a viro Dei, tum verbis tum exemplo recollectionis, humilitatis, patientiæ exultabat cor suum, ut gaudens suam obligationem adimpleret.* Habetur insuper *fol. proc.* 28. relat. ab Auct. *hujus oper. q.* 53. Quod *consilium dabat : Pauperes in conservanda valetudine debent esse circumspecti, ne in comedendo & bibendo excedant, ne proximis sint onerosi.* De-

nique ex Depositione P. F. Joannis de S. Jacobo *fol.* 32. *proc.* apud Auct. *operis q.* 109. cognoscimus. *Quod dicenti religioso animas quasdam in unione quasi passiva amorem* (Dei) *intuitivum habere: Respondit servus Dei: has animas esse bonas & bonum iter peragere; sed perfectionem, & meritum non esse tam in illis operibus fruitionis quam in eo, quod anima laboret & operetur ex parte sua applicans omnes vires in amando Deum eo modo, & actu magis perfecto, quo potuerit. Nam hoc potius est agere quam frui; illud vero magis frui, quam operari.* Plura alia docuit, quibus in lege Domini, & via perfectionis quisquam facile, ac tuto incederet: sed brevitatis gratia prætermitto.

QUÆSTIO XLIX.

An expediat integra Biblia in quascumque linguas verti, aut versa legi a studiosis, ut eorum studio melius commensurentur?

1. NOtandum, quod exceptis Hebraica, Græca, & Latina linguis, cæteræ dicuntur Vulgares seu Vernaculæ. Biblia in tres præfatas linguas versa esse, & legi a studiosis, plurimum affert utilitatis; tum quia Deus ideo Biblia dictavit Hebræis eorum lingua, per septuaginta Interpretes dedit Græce verti, per D. Hieronymum versa in Latinum sermonem acceptari voluit ab Ecclesia: tum quia harum potissimum linguarum utpote excellentiorum versionibus usi sunt, & eruditionem effecerunt pleniorem SS. Patres, earumque lectioni cæteros hortabantur.

2. Bibliorum versio in Vulgares linguas, & lectio probantur a Vitakero *controv.* 1. *q.* 2. *cap.* 13. Ab Anonymo quodam apud Andradium *lib.* 4. *fol.* 245. improbantur. Ab Orthodoxis aliquando indifferens res hujusmodi est habita: nisi ex circumstantiis locorum, temporum, & Personarum aut vertentium, aut legentium secus esset judicandum.

3. Provisum nuperis temporibus sapienter; prudenterque modus est impositus multiplici Bibliorum versioni, lectionique. Nam Pius IV. Vernaculas Bibliorum versiones ab Hæreticis factos generatim prohibuit, ut constat ex *Reg.* 2. & 4. *Indic.*

Libr.

Libr. Proh. A Catholicis vernaculas factas eis interdixit, qui ex hujusmodi lectione damnum, non potius fidei & pietatis augumentum accepturi videantur. In qua quidem causa Judices Episcopus, aut ejus in rebus fidei adjutor, & Socius Inquisitor cum Consilio Parochi, & Confessarii esse jubentur.

4. Certe illorum numero Lopesius non erat, qui ex Vernaculæ Bibliorum versionis lectione damnum aliquod, sed potius fidei, atque pietatis fructum caperet, atque aliis afferret, sicut in superioribus demonstravimus: attamen ut audivit a præfato Summo Pontifice fuisse proscriptas; qua erat summa obedientia, ac veneratione singulari in Romanam Sedem, ejusque pro tempore Rectorem, statim versionis Hispanæ lectionem dimisit (*Quotidie Biblia latina legebat, & aliquando erat in Epistolis D. Pauli hispanis: Antequam prohiberentur, cap. 4. vitæ*) Haud investigando quibus causis, quo modo, quibus Personis interdicebantur; haud sollicitus dispensationis, quam procul dubio impetrasset, utpote ab infantia hoc studio suscepto, interpres eximius celebrabatur.

QUÆSTIO L.

Quibus Privilegiis studiosi Bibliorum donentur?

1. MAxima perpetuò sunt a Pontificibus, Regibus, Principibus pro locorum diversitate collata privilegia Bibliorum studiosis tum discentibus, tum docentibus in publicis Academiis, seu Archigymnasiis. Alicubi enim sunt a pensionibus, & tributis, quibus Urbani gravantur, immunes. Alibi hospitio, & alimentis sublevantur. Alibi fructibus beneficiorum, & Præbendarum suarum fruuntur absentes, tamquam præsentes officio essent. Alibi aliis privilegiis donantur, ut constat ex auctoribus relatis a Barbosa 1. *p. de Off. & potest. Episc. alleg.* 56. *n.* 18. Quæ quidem privilegia etsi magna, pro dignitate tamen hujus studii minima sunt: neque ad rependendum potius, quàm ad inflammandum. His longe majora a Deo Opt. Max. cumulatè redduntur: imprimisque specialis sui amoris privilegium. Huic enim studio deditis divina secreta revelantur, proptereaque magis Deo dilecti censentur juxta illud Joannis 15. *v.* 15. *Jam non dicam vos servos, sed amicos: quia servus nescit quæ faciat*

ciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos quia omnia, quæ didici a Patre meo, nota feci vobis.

2. Gregorius haud humana, sed divina solum privilegia desiderans, ad hoc studium se contulit ut magis Deum cognosceret, & cognoscendo magis diligeret, proindeque magis ab eo diligeretur juxta illud Joannis 14. 21. *Si quis diligit me, & ego diligam eum.* Quam speciale igitur divini amoris privilegium consecutus sit Ven. Gregorius, non dicam hoc loco, quod illi Deus mansuetos reddiderit sæviores belluis homines Chichimecas, subjeceritque adeo, ut tugurium construerent, terram foderent, illud ramis foliisque tegerent: ut juramento testati sunt Socius, & Petrus Carillo de Avila. Sed quid tam singulare divini amoris privilegium, quam ut Angelos mitteret, ut Gregorio hortulum colenti servirent; olera, quibus unice vescebatur irrigantem adjuvarent? quemadmodum Agricolam olim Isidorum concivem suum adjuvasse legimus in Historiis. Habemus etiam *fol. 5. proc.* relat. ab Auct. *hujus oper. q. 79. Quod quando perambulabat Sanctuaria Castellæ.... cum certa die in S. Ecclesia Toletana orationi insisteret, habuit singularem favorem, & inexplicabile beneficium a Domino, cui æquale usque tunc non acceperat.*

QUÆSTIO LI.

Utrum Animi, Corporisque relaxatio, vel potius ejus fuga aptiorem Bibliis studiosum efficiant?

1. OBesse plurimum studio Bibliorum effrænam animi corporisque relaxationem, proindeque ejus fuga studiosum effici Bibliis aptiorem probat S. Basilius *hom. de leg. Gent. libr.* exemplo Philosophorum, qui ab omnibus sensus illecebris, atque inhonestis animi voluptatibus abhorruerunt, quod impedimento esse liberalibus disciplinis agnoscerent. Qua nos igitur integritate, atque innocentia morum studio Bibliorum vacandum putamus, quod *Sanctum* appellant omnes Patres, clarissimique viri, qui de studiis possunt judicare?

3. Præterea immoderata animi, corporisque relaxatione, etsi non inhonesta, plurimum retardari Bibliorum studiosum; ex adverso, fuga promoveri, pleni sunt Doctorum libri, plena

na exemplorum vetuſtas. Hujuſmodi enim fuga Origenes, Nazianzenus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Thomas, Bonaventura, aliique in Bibliis profecerunt.

4. Sed egregium noſtris temporibus cujuſvis animi, corporiſque relaxationis contemptorem intueamur Gregorium. *Fol.* 27. *proceſs.* teſtatur Socius: *Aliud in Servo Dei animadverti ponderatione dignum, nunquam in aliqua re temporali lætatum fuiſſe, nec permiſiſſe, rem mundi cor ſuum ingredi. Lætitia ſua erat ſolus Deus: deliciæ ſuæ & gloria erant, ut divinæ voluntati voluntas ſua ſubderetur, & ut proximis prodeſſet. Et cum dixiſſem ſervo Dei, quantum hæc virtus, quæ in eo erat, ſibi videretur æſtimabilis; reſpondit Gregorius: verecundia eſt, quod nos qui in lege gratiæ vivimus, qui ſæculo renunciavimus, hoc magni æſtimemus. Etenim Eſther Regina uxor Magni Monarchæ dixit: Domine mi Rex Deorum, & univerſæ poteſtatis, tu ſcis quod nunquam lætata ſit ancilla tua ex quo huc translata ſum uſque in præſentem diem, niſi in te Domine Deus Abraham.* Et *fol.* 25. *proceſſus* legitur, quod licet maximos labores, doloreſque ſentiret *nunquam ſolatium accepit ab aliqua humana Creatura.* Et *fol.* 14. relat. ab Auct. *hujus oper. q.* 62. dicitur *quod nunquam per diem dormiebat, ut plus temporis eſſet illi, ut cum Deo & proximis communicaret.* Item *galero non utebatur, ne corpus fieret delicatum; ut ex proc.* probat Auct. *hujus operis q.* 53. Poſtquam enim *Dominus eum poſuit in actu puri amoris interioris cum Deo ex totis viribus ſuis .... nec natura, nec ſenſus guſtum aut recreationem in aliqua re creata perciperent*: ut teſtatur P. Joannes *fol.* 123. *proc.* relat. ab Auct. *hujus operis q.* 112.

QUÆSTIO LII.

An per ſecundas res, vel potius per adverſas quis ſtudio Bibliorum melius commenſuretur?

1. TAm ſecundas, quam adverſas res duplicis eſſe generis conſtat: Spirituales nimirum, & ſenſibiles. Ad primi generis res ſecundas maxime pertinent pax, & tranquillitas animi. Utrâque melius commenſurari Bibliis ſtudioſum docet S. Auguſtinus *lib.* 1. *de Serm. Domini in monte*: *Sapientia congruit pacificis, in quibus jam ordinata ſunt omnia.* Et *ſententia* 369. *Pax*, inquit,

inquit, *Christi est omnis intentionis, actionisque perfectio. Propter hanc Sacramentis ejus imbuimur; propter hanc mirabilibus ejus operibus, & sermonibus erudimur.* Si quæ autem adversa sensibilia huic studioso Bibliorum occurrant, ex ipsis divinis eloquiis, quasi scutum, & gladium accipit, quibus omnia subsistineat, hostes conterat, Diaboli machinas evertat: *Nonne verba mea quasi malleus conterens petras? dicit Dominus.* Quin imo mortem fortiter contemnit. Sermo enim Dei vivus, & efficax mentem illustrat, voluntatem accendit, firmat cor: ut exemplo castissimæ Virginis, & constantissimæ martyris Ceciliæ ostendam paucis. Hæc enim S. Matthæi a se conscriptum Evangelium assidue gestans in pectore, quocumque iter faceret, legebat, meditabatur, tamque intimo in illud ferebatur affectu, ut mortem pro eo esset subitura, quovis etiam genere martyrii. Quod cum revera parari intelligeret, virili plusquam animo substinuit, nec dimisit tamen Evangelicum Codicem, sed cum eo sepeliendam mandavit: prout apparuit, cum corpus sub Zenone Imperatore est inventum.

2. Quantum Lopesius Bibliorum studio fuerit commensuratus, ex magna animi qua fruebatur tranquillitate, intelligi potest. De qua licet in superioribus quædam commemoravimus; addit Patre Joseph de Vides *fol 26. proc.* apud Auct. *hujus oper. q.47. quod videbat illum vultus gravi & placido instar Angeli.* Et consonat *fol. proc.* 121. apud auct. *hujus oper. q.* 72. P. Fr. Joannes, quod *quæ ei fiebant Deo permittente: magna pace, & tranquillitate spiritus toleraret, imo persecutores suos vera æquanimitate defenderet.* Illud etiam non omittendum, *quod cum quidam cum eo agerent de perturbatione & tumultu magno contra eum insurgente, respondit: nunquam Deus velit, ut ego occupem animum meum in horum cogitatione:* ut testatur Socius *fol. 25. proc.* Et *revera cum pax unitatem faciat, nam qui adhæret Deo unus Spiritus est*, inquit Augustinus: porro cum Gregorius per ferventissimum & nunquam intermissum actum amoris quodammodo unus cum Deo Spiritus videretur, summa pace fruitum esse non dubitabimus. Hujus proinde armis difficile dictu est, quot genera tribulationum substinuerit, ac superaverit. In deserto enim cum militibus hispanis huc illucque discurrentibus contra Chichemecas, & Gregorium hypocrisis, hæresis insimulantibus adeo se gessit, *ut careret ira Sapiens quam excitabat injuriæ species*

(Se-

(Seneca de Const. cap. 9.) *In solitudine item multa bella gessit cum inimico generis humani* (Socius *fol. 6. processus*) *variis vexatus tentationibus, ita ut jam veterano duci horrore capilli erigebantur, quoties illorum temporum tyrocinii recordabatur. Habuitque cum Demone bella spiritualia, sed quoddam ita terribile, ut in lucta sanguinem è naribus & auribus emiserit.*

QUÆSTIO LIII.

An divitiis vel paupertate quis studio Bibliorum melius commensuretur?

1. SI divitiis inserviat studiosus Bibliorum, nullatenus commensuratur. Si prudenter divitiis utatur, aptus est huic studio. Si voluntariam eligat paupertatem, magis idoneus efficitur. Ei namque qui divitiis inservit, tam deest quod non habet, quam quod habet: proindeque studio servandi ea, quæ habet, & cura comparandi ea, quæ non habet, adeo distrahitur, ut nec animus, nec locus, nec tempus attentæ lectionis relinquatur. Ei vero qui divitiis utitur prudenter, tum librorum copia, tum sapientum colloquiis, quæ ad scientias acquirendas plurimum conferunt, adjuvatur. Ei denique qui paupertatem eligit, speciale Dei auxilium, lumenque singulare deesse nequit, cum, abjectis terrenis, sola divina conetur inquirere. Unde enim putamus tanta Apostolos donatos fuisse doctrina? *Usque in hanc horam*, inquit Paulus 1. *Cor.* 4. *v.* 11. *& esurimus, & sitimus, & nudi sumus.*

2. Miramur tam excellenti Bibliorum scientia fuisse prædictum Ven. Gregorium, qui paupertatem amicam vocavit, sociam elegit? Testatur enim Socius ejus *fol.* 28. *proc. à viro Dei sciviſſe, à die egressus sui in desertum, quo se obtulit in votum Deo, nunquam rem aliquam possedisse cum proprietate, & ad hoc propositum dicere consuevit Servus Dei: in paupertate exteriori complacere sibi, signum est interius divitem esse. Et ita amor magnus paupertatis, quem servus Dei habuit, causa fuit, ut varios & admirabiles modos adinveniret, ut in extrema viveret paupertate .... nam prioribus undecim annis deserti sacco vili usus: postea in Atliſco dederunt ei hospites sui vestimentum panni fusci. Lectulus ejus terra dum potuit sine magno salutis de-*

trimento, postea in pellibus Arietis dormiebat..... Cubile ejus pauperrimum, ita ut ægrotans non permiserit pannis etiam vilibus ornari. Ipse linteamina sua lavabat.... supellectilia ejus erant Biblia, mappa, & Globus, quæ ipsæ propriis manibus fecerat, & duo libri. Idemque testatur P. Fr. Joannes de S. Jacobo *fol. 121. proc. Fuit adeo extrema ejus paupertas*, inquit, *ut inter alia quæ cum eo locutus, dixit ei servus Dei Gregorius: Quod postquam posuit eum Dominus noster in actu continuo amoris sui, jussit illi ut non possideret rem aliquam hujus mundi, nec ab aliquo eam in ejus nomine sibi peteret, sed tantum se divinæ dispositioni relinqueret.* Similia habet P. Doctor Petrus de Hortigiosa *fol. process. 52.* tum alii Testes.

QUÆSTIO LIV.

An loquendo vel silendo quis melius commensuretur studio Bibliorum?

1. BIbliorum Studiosum incipientem silentio potius discere, quam loqui debere tum sacræ literæ, tum Patres, tum Philosophi tradunt. Quippe Job. 33. 33. dicitur: *audi me, & tace, & docebo te sapientiam: Docete me, & ego tacebo* S. Ambrosius *in psalm. 118. serm. 2. Tacens*, inquit, *adolescens est qui prius discens, quam loquatur.* Plutarchus *in lib. de garrul. qui ingenuam*, ait, *regiamque adepti sunt eruditionem, primum silere, deinde loqui didicerunt.* Et ratio his accedit: nam silentium adjuvat studiosum ad considerandum, consideratio autem illuminationem, illuminatio decorem, directionem, & securitatem parit, ut observat Sanctus Thomas *lib. 2. de Instit. Princ. cap. 4.* Ex adverso defectus silentii minuit considerationem, proindeque illuminationem, atque inde sequitur dedecor, confusio, & inordinatio, ut arguit idem Angelicus Doctor *loc. cit.*

2. Multo minus Bibliorum studio commensurantur ii, qui multiloquii, ac detractionis vitio laborant. Primum tradit Sanctus Greg. 3. *p. pastor. admon. 15. quot supervacuis verbis* (humana mens) *dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur, unde & redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium sparsa a secreto se intimæ considerationis excludit.*

Al-

Alterum vero docet Chrisostomus *hom. in psalm.* 100. *Grave malum*, inquiens, *est detractio, turbulentus Dæmon, nec unquam pacatum hominem reddens*, proindeque nec studio Bibliorum aptum, cum *quiescendo & sedendo* (ideſt sedato animo) *fiat homo sciens & Prudens*, ut docet Philosophus.

3. Altissimæ Bibliorum scientiæ veluti primum fundamentum posuit Silentium Lopesius. *Nam duobus annis*, confessus ipse est, *ita posui custodiam ori meo, ut solum in meridie, dum mensam accederem pane victurus, hospites meos salutaverim* (Vid. *q.* 32. apud Auct. *oper. & q.* 29. *hujus synops.*) Item deponit Illustrissimus D. Fr. de Augusto Augustinianus Episcopus de Cebù *Epist.* in laudem ejus scripta: *Sanctum & bonum meum Gregorium dilexi multum; si tamen ab eo videndo, & communicando abstinui, maximè quia ipse non loquebatur nisi interrogatus.* Socius *fol.* 22. *proc.* hæc habet: *Cum sepissime coram Servo Dei viri eruditissimi per longas temporis moras dissererent de scientiis, quas ipse cum eminentia sciebat, ac si esset rusticus aut ignorans tacebat: quæsitus tamen clare, & breviter respondebat.*

4 Alterum scientiæ Bibliorum fundamentum posuit Gregorius opportunam, utilem, & necessariam loquendi rationem; Scilicet *propter honorem Dei, & proximi, & veritatis Catholicæ defensionem*, ut testatur Socius *fol.* 22. *proc. Nec in mensa, nec post mensam audivisse verbum otiosum, ideſt non necessarium.* Et *fol.* 18. *proc.* relat. ab Auctor. *hujus Operis quæst.* 20. hæc habet: *Quando tamen respondebat, licet responsiones ejus essent altæ, & admirabiles, eas sine incremento, & ponderatione, sed stilo planiori proferebat: ibique filum scindebat elocutionis, ubi & interrogationi, & necessitati proximi se noverat satisfecisse.* Et illustrissimus Dominus Episcopus Guatimalensis *fol.* 108. *proceſſ.* juramento deponit, quod *Angelus sibi videbatur in puritate, honestate vitæ... cum ab eo verbum non necessarium, aut sine utilitate, aut sine eruditione Christiana non percepisset.*

5. Tertium denique fundamentum altissimæ Bibliorum scientiæ posuit Gregorius cautissimam de proximo loquendi rationem. Testatur enim Socius *fol.* 22. *proceſſ*; Per decem & octo annos quibus conversatione viri Dei, eadem domo, imo & cubiculo fruebatur, nunquam audivisse, ut verbum aliquod contra aliquem proferret; imo si hæresim referebat, nomen hæretici

omittebat : Hinc addit dictus P. Petrus de Augusto , quod *cum Servus Dei opportunè referret , fuisse Imperatorem , qui in medio mari carnibus recentibus vescebatur , & cui ad medium terræ natantes pisces afferebantur : cum socius dixisset , hunc fuisse Eliogabalum , tunc servus Dei : Cum factum damnaverimus , inquit , bonum fuisset celare Personam .*

6. Sed speciatim ostendit Gregorius sanctitatem quoad perfectam linguæ suæ cautionem non ferendo , ut aliquid proferretur, *quod minueret laudem , & existimationem proximorum ; imo magna dexteritate , & valore impediendo quemcumque sermonem, qui detractioni , aut murmurationi congrueret ; & ita conversatio ejus semper erat de rebus utilibus , & spiritualibus , quæ possent ædificare eos , qui cum eo agebant* . Hæc Doctor Hortigiosa *fol.* 51. *proceſſ.* Habetur etiam *ex proceſſ.* apud Auctor. *Oper. q.* 48. Quod cum quidam coram Gregorio fucato in Rempubl. amoris zelo detraheret Philippo II. Hispaniarum Regi ; Gregorius , ut muta fierent labia dolosa : *Quis* , inquit , *nos Gubernatoribus intromittit ? Rex intellectu præditus est ita claro , qualis in Hispania potest reperiri* . Alia exempla recenset Auctor tum *præsenti quæst.* tum *alibi* .

QUÆSTIO LV.

An rigorosa , vel potius moderata ciborum abstinentia quis Bibliorum studio melius commensuretur ?

1. QUemadmodum (inquit Gregorius *lib.* 20. *Moral. cap.* 21.) corda in cythara si minus tenditur , non sonat , si amplius , raucum sonat . Sic virtus abstinentiæ aut omnino nulla est , si tantum quisque corpus non edomat , quantum valet : aut valde inordinata est , si corpus atterit , plusquam valet . Hinc deducit Angelicus Doctor 2. 2. *q.* 188. *art.* 7. Abstinentiam esse instrumentum ad virtutem ejusque perfectionem aptissimum , si discreta , si viribus , & valetudini proportionata sit . Assuescendus tamen studiosus est parciori , quo potest , victui ; eoque non ad voluptatem , sed ad necessitatem uti debet , ut magis proficiat . Macerato enim corpore pingueſcit animus . Nam cum ope sensus fiat intellectio ; quo ille moderatiore , levioreque utitur cibo , eo promptiore offi-

cio

cio famulatur. Idque exemplis SS. PP. potest confirmari; quorum alii, ut habetur apud D. Prosperum *lib. 2. de vit. contempl. cap.* 17. & Cassianum *coll.* 21., triduo abstinebant; alii, quod mirabile dictu est, integra hebdomada: eademque abstinentia erat familiarissima senectuti. Ipsa namque Bibliorum meditatio interiorem hominem cælesti pabulo ita reficiebat, ut exterior etiam satiatus exurgeret.

2. Studiosissimum Bibliorum Lopesium abstinentia mirabilem fuisse constat firmissimis monumentis. Socius enim *fol. 6. processus* testatur: *Cæpit sequi vir Dei viam perfectionis & armavit se maceratione, & mortificatione corporis sui, & continuis abstinentiis, & consuevit semel in die comedere, & non amplius, licet parvus esset cibus, & debilis ad substentationem: quam consuetudinem usque ad mortem servavit, & nunquam cænavit.* Hinc si mensæ (*fol. proces.* 28.) *apponebantur uvæ, ficus, aut melopepones, odore melopeponis contentus dicebat, sufficit odor pro isto anno, aut ex racemo granum uvæ, aut dimidiatam ficum gustabat...* Etiam *vidit* (*fol.* 29. *proc.* apud Auct. Oper. *q.* 53.) *sibi Deum complacuisse, & voluisse, ut Gregorius sibi in eo serviret, ut tamquam verus pauper, ex his quæ aliis supererant, substentaretur. Quo libenter vescebatur* (*fol.* 31. *processus*) *erat panis, quia cibus pauperum.* Et *fol.* 60. *proc. Statuit secum vir Dei, ut non comederet ad saporem gustus, sed tantum ad vitæ substentationem.* Similia testatur P. Joannes de S. Jacobo *fol.* 121. *proc.* apud Auctor. *oper. dict. q.* 53. *Satis illi vestis humilis, ut caro tegeretur, & alimentum ut natura substentaretur.* Episcopus Tlaxcalensis apud Auctor. oper. *q.* 29. juramento deponit. Quod *quoties visitavit Gregorium, vidit, quod nisi ad comedendum semel, è cubiculo non egrediebatur.* Denique P. Petrus Sarmiento *fol. proces.* 95. apud Auctor. *Oper. q.* 84. testatur: *Pluries vidisse virum Dei Gregorium magna moderatione, & meridie duntaxat comedentem.*

QUÆSTIO LVI.

An studio Bibliorum quis per cælibem vitam melius commensuretur?

1. CUm ad illam sapientiam, quæ sæculari doctrina præstatur, summi viri intellexerint, maximum adjumentum esse

esse castitatem : respondente eis Tullio, qui eum interrogabant, cur repudiata uxore Terentia, aliam non duceret? *Se, non posse simul philosophari, & uxori operam dare*: Ad istam veram, & laudabilem sapientiam nemo non videt, Castitate melius commensurari studiosum; nam *qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt*, inquit Apost. 1. *Corinth.* 7. Quippe hæc sapientia cum cælestis, ac divina sit, cælibes exigit: dicuntur enim cælibes quasi cælestes, ut interpretatur Hieronymus *lib.* 1. *contr. Jovinian.* & S. Bernardus *epist.* 42. inquit: *Differant homo pudicus, & Angelus fælicitate non virtute: Angeli castitas fælicior, hominis fortior*. Quamvis ergo nonnulli conjugali vinculo adstricti non mediocrem ferantur scripturarum scientiam assecuti: sunt vero admodum pauci, neque præstanti cum doctrina cælibum comparandi. *Qui enim cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, & divisus est*: Addit Paulus *cit. epist.*

2. De Lopesio hac in re dici potest, quod Ruffinus aliique tradunt de S. Gregorio Nazianzeno: *Qui cum Athenis studiis vacaret, vidit per soporem sedenti sibi, & legenti duas decoras dextera levaque fœminas assedisse, & dixerunt ei: altera ex nobis Sapientia, altera Castitas dicitur, & missæ sumus a Domino tecum habitare, quia jucundum nobis, & mundum in tuo corde habitaculum præparasti*. Præparavit namque Lopesius mundum in suo corde habitaculum Castitati, ut cum ea assistricem mereretur habere Sapientiam. Siquidem D. Alphonsus dela Mota & Scobar Episcopus Tlaxcalensis *fol.* 66. *process.* testatur. *Quod semper in servo Dei extraordinariam corporalis castitatis puritatem consideravit; quia tam in modestia & aspectu, quam in verbis suis prodebat quendam candorem purum munditiei, ex qua bene poterat inferri, quam elongatus fuisset, & a cogitationibus obscœnis etiam quæ dici solent actus primo primus. In omnibus enim actionibus suis, & verbis magna cautio ostendebatur, ut decebat esse ei, qui in hac virtute erat habituatus ... & ratione virtutis castitatis ejus comparabat Gregorium cum Angelo in terra, motus ex verbis Domini: Qui non nubent, sed sunt sicut Angeli in Cælo*. Cujus testimonio cohæret depositio P. Fr. Joannis de Sancto Jacobo *fol.* 123. *proc. Vidit enim, & animadvertit in Servo Dei Gregorio, in quantum potuit conjecturare, & ex illis quæ ei communica-*

nicavit, quod in puritate, munditia & castitate animæ, & corporis fuit heroicus, & eminens, sicut & in aliis virtutibus.... Ita Deiformis erat anima sua, & candor, & puritas, & mundities, quam communicavit corpori suo, ut vix intellectus assequatur in hac vita, & ita videbitur in altera. Unde (Concludit idem Episcopus Tlaxcalensis) *E carne & corpore viri Dei jam mortui odor fluxit suavissimus suo judicio procedens ex virtute castitatis, & puritate, quæ in eo semper fuerat servata, & etiam ex consortio, & continua communicatione, & conversatione, quam cum Deo per Orationem semper habuerat.* Et addit: *usque in diem, quo hæc juramento firmavit, post 24. annos perseverabat cælestis odor in pallio Servi Dei.* Philosophi etiam & medici omnia signa, & privilegia virginalis castitatis in corpore denati Lopesii cognoverunt. Vidisseque se Fr. Anaja testatur, *corpus altera die post obitum integrum, flexibile, pulchrum, splendidum, oculis quasi viventis*: Alia testimonia missa facio brevitatis gratia.

CAPUT X.

De Fructibus studii Bibliorum.

PEculiares Bibliorum studii numerantur Fructus à SS. Patribus: Convertere animas. Arguere. Corrigere. Docere. Sanare. Consolari. Lætificare. Illuminare. Inflammare. Esse pignus æternæ vitæ.

QUÆSTIO LVII.

An Bibliorum studii Fructus sit animas Convertere?

1. QUamquam ad producendos omnes, quos commemoravi, fructus, divina providentia medio studii Bibliorum non sit alligata: hoc tamen sæpe sæpius uti solere, imprimisque ad animarum conversionem tradit Propheta *psalm.* 18. 8. *Lex Domini Immaculata convertens animas*: firmaturque exemplis pluribus. Siquidem Auditui, Lectionive Scripturarum deberi conversionem Antonii Magni, Summi Philosophi Victorini & cla-

& clariſſimi Eccleſiæ luminis Auguſtini conſtans eſt omnium ſententia. Auguſtinum ſecutus eſt Alipius cum in Pauli ſententiam incidiſſet *Rom.* 14. 1. *Infirmum in Fide aſſumite*, eamque ad ſe referri exiſtimaſſet. Pambum auditis *pſalm.* 38. verbis: *Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in vita mea*, converſum fuiſſe refert *hiſt. Eccl. lib.* 8. *cap.* 6. Ea quippe vis ineſt divinis eloquiis, ut in ſummi boni cognitionem ducamur; hinc amor gignitur. Utque accenſa fax aliam facem, ſic ſtudioſus Bibliorum igne caritatis inflammatus eodem igne alios accendit.

2. Quoniam vero in Ven. Lopeſium cadere hoc genus converſionis non poterat, ut qui averſus à Deo nunquam extitit, ſortituſque eſt animam bonam: converſus tamen pro ſuo modulo eſt, quatenus immaculatam ſervavit, omniumque virtutum genere exornavit. Neque intra ſe tantum recte facta concluſit, ſed in aliorum quoque utilitatem præclaros fecit effluere fontes. Haud facile enim dictu eſt; quot, cum Lopeſium integritate, caſtitate, innocentia morum, jejuniis, maceratione, ſilentio, modeſtia, contemplatione divinorum, caritate ornatum intuerentur: cum ſapientia clarum, prudentia ſingularem, conſilio mirabilem experirentur, quot, inquam, animo compuncti, moribuſque reformati ab exitio ad ſalutem, a vitiis ad virtutem revocabantur: *Teſtis eſt Joſepha uxor Franciſci Tello Auditoris Regalis Curiæ, quæ in Civitate exemplum vitæ non exhibebat, quale ab ea deſiderabatur, tam in expenſis pro ornatu veſtium ſuperfluis, quam in ludo cartarum, in quo multum temporis, & nummorum inſumebat, poſt ſe afferens plurimas feminas nobiles. Cum acceſſiſſet ad oppidum de S. Fide ſeptendecim diebus ante obitum Gregorii .... flexis genibus, & cum lacrymis petiit, ut eam Domino commendaret, & ſuper ſe ſumeret curam animæ ſuæ. Ex quo Joſepha cœpit ſentire in corde ſuo magnam mutationem: gaudebat enim agere de rebus divinis, & de emendatione vitæ ſuæ, & ſtatim tradidit flammis folia luſoria, quæ in manica attulerat: confeſſa eſt cum hoc teſte* (Socio nimirum, qui hæc teſtatur *fol. proceſſ.* 29.) *& per horas emendatio animæ ejus, & profectus dignoſcebatur ... Statim ut ipſa domum ſuam acceſſit, ſcripſit huic teſti aliquas epiſtolas, quibus animam ſuam dextera Dei potentiſſima tactam eſſe demonſtrabat ... Denique mortua eſt Donna Joſepha exhibens magna certæ ſalvationis pignora, & poſt paucas horas nuncium*

de

de obitu ejus accepit. Hic teſtis nunciavit Gregorio, qui dans ſigna lætitiæ hæc verba protulit: Potens eſt Deus. Quibus conſonat depoſitio Petri de Sarmiento *fol.* 98. *proceſſ. Levaſſe ſervum Dei oculos in Cælum, & dixiſſe: Potens eſt Deus ad ſalvandam iſtam animam, & quieviſſe.* Teſtis eſt idem Franciſcus Loſſa, qui ut habetur *fol. proceſs.* 35. relat. ab Auctore *hujus operis q.* 60. *contemplatus Gregorium virtute ſplendentem, ſe vero perfectionem vitæ deſiderantem, affligi tamen quia miſeros hominis experiebatur lapſus, deprecatur Gregorium, ut pro eo Deum oret, & ſibi conſilium de faciendis petit, ut unicum bonum ſalutis animæ conſequatur. Cui Gregorius hoc ſolum reſpondit.* Sia V. S. in queſt'anno Eremita nel Meſſico. *Quantum lucis & ardoris hæc ſententia clauſerit, effectus ipſe explicavit..... Nam Mexicum reverſus, vitam in ſpiritu, & Oratione cæpit renovare, & in operibus caritatis ferventius exerceri; ſentiens ex miſericordia Dei virtute & viribus adjuvari, ut intra ſe collectus ambularet..... ac ſi* 50. *annis in deſerto Orationi vacaſſet. Et tunc in novum hominem commutatus cogitationem a terrenis ad cæleſtia convertit... Servis & ſupellectilibus prætioſis valere dixit, ut ſolitariam & pauperem vitam, uſque in præſentem diem* (qua hæc juramento firmavit coram Metropolitano *die* 10. *Jul.* 1620.) *ageret ſoli Deo, & proximus vivens; ita ut multa bona, quæ a Deo ſuſceperat, eleemoſynam pauperibus erogaverit pluſquam* 60. *millia Ducatorum Caſtellanorum, verſatus magnis pœnitentiis, macerationibus, jejuniis, diſciplinis, & ciliciis, & ut eremita deſerti bella experiebatur ab hominibus & Demonibus....* at ne caderet, ſed potius è tentationibus fructum conſequeretur, Gregorii Orationibus a Deo miſericordiam impetrantibus tribuit. *Elapſo anno* (*proceſs. fol.* 36.) *venit ad magiſtrum ſuum, dixitque viro Dei, quid deinde faciam. Cui Gregorius reſpondit: Diliges Deum, & Proximum.... Quare ex toto corde obtulit ſe Deo, & ſimul veſtitum ſe, & circumfuſum invenit amore divino tam magno, quem nec intellectus poterat comprehendere, nec cor erat capax, ut illum poſſet recipere... Curavit mundare & dilatare cor, ut illud grande beneficium acciperet, & firmiter propoſuit ſequendi in omnibus voluntatem, & manum Dei.... Et manſit in eo ex hoc beneficio magnus quidam effectus, quod ſubſtentavit ſe in hoc ipſo amore, & in exercitio virtutum uſque in*

hodiernum diem, cum ex tunc plusquam quadraginta anni elapsi sunt. Testes sunt alii plures, qui *verba Gregorii audientes partim illustrati, partim accensi & moti ad omne bonum operandum revertebantur*, ut testatur idem Socius *fol.* 17. *proces.* relat. ab Auctore *hujus operis q.* 60.

QUÆSTIO LVIII.

An studii Bibliorum fructus sit Arguere?

1. ARguere in præsentiarum non significat, utcumque objicere, sed convincendo inclinare, ut cum Dominus Hæbræos interrogavit: *Quis ex vobis arguet me* (Grece *convincet me*) *de peccato*? Bibliorum autem esse proprium convincere, proindeque studiosos ad convincendum idoneos facere, patet *ex Epist. ad Tit.* 1. 9. ubi de erudito in Bibliis dicitur: *Ut possit eos, qui contradicunt arguere*. Scientia enim divinorum lux est. *Proposui pro luce habere illam* (*Sapient.* 7. 10.) Est autem lucis arguere, dum claritate defectus manifestat, & veritatem convincit.

2. Lopesius præsertim Hæreticos arguendi fructum ex Bibliorum studio uberrimum messuit. Nam ut testatur Socius *fol.* 24. *proc.* relat. ab Auctore *hujus operis q.* 12. *&* 54. *majorem impetus spiritum ostendebat in declarandis Sacræ Scripturæ testimoniis, unde hæretici fundamentum ad suos errores accipere conabantur; quia illa pravè intellexerant. Tunc enim non erat contentus si paucas auctoritates, & rationum pondera afferret, sed quantum opus erat spatiabatur, & meliores sensus Sacræ Scripturæ, quos sciebat, afferens, illa præsertim testimonia, quæ hæretici ut invicem repugnantia congerebant, impetu & libertate Christiana, summa tamen modestia concordabat*. Detrahentem aliquem gubernatoribus aut principibus ita perstringebat: (ut patet ex testimon. relat. ab Auctore *hujus operis q.* 54.) *Domine si sedem hujus obtineres, forte non adeo certe collimares. Si urgebant, facta a Principibus reformatione indigere, ipse replicabat: Hæc Gubernatoribus, ut proficiant, suggerenda, quæ hic sine fructu evanescunt.... Quibus verbis tantum vitæ, & ponderis sua auctoritate, & gravitate adhibebat, ut etiam magnates confunderet*.

QUÆ-

QUÆSTIO LIX.

An ſtudii Bibliorum Fructus ſit Corrigere?

1. COrrigere, eſt ad rectum reducere quod erratum. Suavis id præſtandi modus a Deo eſt inſtitutus ſtudium Bibliorum, ut conſtat ex Apoſt. 2. *Timoth.* 13. *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad corripiendum*: Græcè, *ad correctionem*. Humanam quippe vitam ab erroribus avertens, integritati debitæ reſtituit; ac reſtitutus in priſtinum errans, corrigendi alios doctrina & exemplo aptus efficitur.

2. Hunc etiam ſcientiæ divinæ fructum reportavit copioſum ſtudioſiſſimus Lopeſius. Quandoquidem ita ſe ſuoſque mores attenta Bibliorum lectione, ac meditatione conformavit, ut a piaculis etiam leviſſimis ſpeciali Dei gratia ereptus (*vid. q.* 95. *hujus ſynopſ.*) *non terreſtrem virum ſed cæleſtem* præſeferret; aliorumque efficeretur, vita, doctrina, conſilio, inſtitutioneque corrector efficaciſſimus. Teſtatur enim P. Franciſcus Suarez *fol.* 220. *proc.* *Quod dum moraretur ſervus Dei in hoſpitali Guaſtepec; videns quod præfectus Xenodochii ægrotantem ab hoſpitali ejiceret: Gregorius, qui erga pauperes erat valde miſericors... vocavit ad ſe rejicientem, urbanè rogavit pro ægrotante, & cum deprecationi non acquieſceret, ſed adhuc pelleret, dixit aliquali aſperitate: Non ejiciatur. Obedivit ejiciens, & ægrotum collegit ad valetudinarium*. Sed illud notatu digniſſimum eſt: quod ipſi ceteroquin bonis moribus præditi Lopeſium accedere pertimeſcerent, aut loqui recuſarent, quod ſibi adeſſe aliquid corripiendum putarent. Teſtatur enim Illuſtriſſimus D. Fr. Joannes Zapata 11. *Febr.* 1611 relat. ab auct. *hujus oper. q.* 58. *Continuo doluiſſe quod cum iter faciens, quodam veſpere in oppido de S. Fide hoſpitaretur, non fuit auſus videre ſervum Dei Gregorium, quod valde deſiderabat, & omiſit ex reverentia, & humilitate, ne ſine ſanctitate ſuæ religioſæ profeſſioni debita appareret coram tanto viro*. Item habetur ex depoſitione Franciſci Loſſæ *fol.* 38. *proc.* relat. ab auct. *hujus operis d. q.* 58. Quod *miſſus a Prorege Marchione de Salinas quidam nobilis, ut Gregorio verbum proferret: in præſentia Servi Dei ita contremuit, ut neſciret, nec valeret verba a Prorege data proferre; & egreſſus inde dixit coram Loſſa: Longe diverſum eſt agere cum hu-*

jusmodi hominibus Dei, & aliis terrenis. Nunquam me in vita mea propter præsentiam hominis corripiendum putaveram.

QUÆSTIO LX.

An studii Bibliorum Fructus sit Docere?

1. EST docere nihil aliud, quam Doctrinam præsertim scientiarum tradere. Doctrinam autem omnium scientiarum tradunt Biblia, quoniam scientiæ omnes, docente Augustino *epist. 2. ad Volus.* & Chrisostomo super *cap. 1. Matth.* in Bibliis continentur: patet hujus præcipue fructus veluti arborem esse Biblia feraciſſimam. Hinc Apost. 2. *Timoth. 3. Omnis scriptura.* inquit, *divinitus inspirata utilis est ad docendum*. Neque vero librum naturæ est, cur libro scripturæ quis comparet. Ex mundi enim machina tanquam speculo divinorum licet nonnulli Deum Creatorem, summè sapientem, providum, ac justum intellexerint: at pauca sunt hæc quidem, & non nisi per longum tempus, nec sine permistione errorum addiscuntur; longe vero plura, & expeditius, certiusque ex Bibliis docemur, ut probat S. Thomas 1. *p. q. 1. ar. 1.*

2. Ex libro Creaturæ tamquam magnus Philosophus, sed ex libro Scripturæ ut summus Theologus erectus Gregorius ad Divinorum apicem, non omisit alios eadem docere, licet docentis ex professo munus recusaverit. *Contigisse* enim testatur *fol. 17. vitæ* Socius *ad oppidum de S. Fide convenisse sex aut plures Personas spirituales ex diversis locis concurrentes, ut cum servo Dei ea, quæ spiritibus suis prodessent, communicarent. Et aliquoties palam respondebat omnibus tanta cum facilitate, ut quilibet circa dubitationes suas, & in his quæ ignorabant Docti fierent.* Gaspar de Prabes *fol. 116. proc.* relat. ab Auctore *hujus operis q. 59.* juramento declarat. *Spatio quatuor mensium, quibus officium capellani exercuit in oppido de S. Fide anno 1590. frequenter consulvisse Servum Dei circa intelligentiam difficultatum Theologicarum, quas Scholis studens non fuerat assecutus. Et a viro Dei ita paucis verbis erudiebatur, ut non solum solveret quæsita, verum disponebat eum, ut difficiliora caperet, quasi intellectum ejus aperiret ut intelligeret.*

QUÆ-

QUÆSTIO LXI.

An ſtudii Bibliorum fructus ſit ſanare?

1. MOrbos ægritudineſque animi omnes, atque etiam contractos corporis languores ſanandi, avertendique virtute pollere Biblia docet Sapiens 16. 12. *Neque herba, neque malagma ſanavit eos, ſed tuus, Domine, ſermo, qui ſanat omnia.* Et S. Joannes Chriſoſtomus *hom.* 29. *in Genſ.* inquit: *Vidiſtis, quomodo quacumque calamitate humanam naturam premente, conveniens ex Scripturis antidotum ſuſcipere liceat, & omnis vitæ hujus repellatur anxietas, neque ab ullo, quod accidit, gravemur.* Conſiderat quis juſtorum lapſus, & humiliatur legens: *qui ſtat, videat ne cadat.* Qui ſe lapſum intuetur, ne prorſus animo concidat, ſed ſpe veniæ erigatur, invenit: *Nunquid qui dormit non adjiciet ut reſurgat?* Qui paupertate premitur, audit: *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* Qui triſtitia gravatur, levamen accipit: *Quare triſtis es anima mea? ſpera in Deo.* Qui calamitatibus, cruciatibuſque ſubjicitur, oculos animumque convertit in Job, cui poſtmodum *ait Dominus in ſublime erigere, & eſto glorioſus.* Unde concludit idem S. Joannes Chriſoſtomus: *nulla eſt in humana natura vel corporis, vel animi paſſio, quæ medicinam hinc accipere nequeat.* Expertuſque tradit S. Auguſtinus *lib.* 9. *confeſs. cap.* 9. a vehementiſſimo dentium dolore fuiſſe liberatum recitato *pſalmi* 4. verſiculo: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.*

2. Biblica ſanandi morbos animi proprietas in Lopeſio vere Biblico mirifice effulſit: probatumque id eſt *q.* 54. *num.* 5. *&* 6. *q.* 57. *& alibi.* Quid vero dicamus de ſanandi morbos corporis virtute? Juramento deponit P. Fr. Ferdinandus de Rivera Ord. S. Dominici *fol.* 78. *proceſs. Dum eſſet vir Dei audiens miſſam in valetudinario Hoſpitalis Guaſtepec, vocavit eum quidam ægrotus, quem Chirurgus in capite ſecare decreverat, ut partem oſſis cranii, quod fractum, & in medulla cerebri infixum habere putabatur, erueret. Petiit ille a viro Dei, ut pro eo Dominum rogaret, cui Gregorius uno verbo reſpondit: Fiduciam habe in Domino, qui te ſanabit; Fac ut dicatur tibi Evangelium S. Joannis, antequam caput gladio vulneretur. Finito*

nito ſacro, cum abiiſſet Gregorius, æger Sacerdotem ad lectulum rogat accedere; ſuper vulnerandum caput manum impoſuit P. Fr. *Franciſcus de Loaiſa ſenex Dominicanus, & dixit S. Joannis Evangelium: quo dicto æger magno ſternutamento expulit per foramen narium fruſtum cranii tantæ magnitudinis, ut plus moverit admirationem, foramine narium parvo egredi, quam ſternutamento elici potuiſſe. Nec alio medicamento ſanatur ægrotus.* Sed miracula miſſa facio. Novit Gregorius vim naturalem morbos corporis curandi avertendique, ut pro ſexcentis probat argumentis liber de medicina a ſe conſcriptus etiam nunc extans, de quo ſcire ſe & eſſe valde notorium Socius refert *fol. 9. proceſſus* quod *Fratres Hoſpitalis Guaſtepec utentes medicamentis, & conſiliis a Servo Dei Gregorio dicto libro aſſignatis magnas operabantur curationes.* Hanc autem ſcientiam ex Bibliorum peritia habitam certo certius eſt, quoniam nullibi conſtat, aut medicos adiiſſe, aut de medicina libros evolviſſe.

QUÆSTIO LXII.

An ſtudii Bibliorum fructus ſit conſolari?

1. Plè legentes Biblia vitalem quemdam ſpiritum capere, & occulto quodam influxu ſuaviter levari teſtantur experti juvenes Machabæi *ſolos habentes ſolatio SS. Libros* 1. *Mach.* 12. 9. Atque ex Apoſtoli verbis 1. *Timoth.* 3. *Dum venio, attende lectioni* infert Chriſoſtomus: *Ex ſcripturis ſolatia omnia perfectiora.*

2. Vexabatur aſſiduo bello Gregorius contra ſpiritalia nequitiæ: at inſtar Jonathæ confugiebat ad SS. Libros, quorum ſe lectione adeo reficiebat, ut exterius apparerent ſigna interioris ſolatii. Oſtendimus namque ſuperius *q.* 52. nunquam *perturbationibus animum occupaſſe*: Et juramento teſtatur Gaſpar de Prabes apud auct. *operis q.* 59. *fuiſſe Gregorium non terreſtrem virum ſed cæleſtem tranquillitatis pluſquam gratæ.* Et cohæret depoſitio P. Petri de Hortigioſa *fol.* 53. *proc.* apud Auct. *hujus oper. q.* 76. Quod cum adfuiſſet *circa tempus mortis Servi Dei vidit in eo quandam equalitatem ... pacem & animi ſecuritatem, quæ bonæ vitæ ſuæ ſanctitatem oſtendebant.* Similia teſtatur P. Petrus Sarmiento *fol.* 95. *proc.* apud Auct. *hujus oper. q.* 84.

Re-

Redundasse autem in alios cælestis ejus solatii copiam testatur *Socius fol.* 14. *processus* inquiens..... *Sine exceptione temporis, aut Personarum omnibus consilia dabat salutaria, omnes consolabatur, & fol.* 24. *proc. venisse*, ait, *ad oppidum de S. Fide nobilem matronam, ut in magna tristitia consolaretur, & licet ipse* (Socius) *verbis spiritualibus & exemplis multis animum ejus levare tentasset, frustra tamen: statim vero, ut vidit & allocuta fuit virum* Dei... *egrediens lætabunda ingeminabat: Consolata discedo; Consolata discedo.* Idem *fol.* 4. *proc.* apud auct. *hujus operis q.* 61. testatur: *Tanta eum gratia a Deo dotatum in consolandis ægrotis hospitalis Guastepec, ut esset notabile quomodo consolabatur tum ex mala conditione iratos, tum ex multis laboribus egritudinum impatientes placabat. Similia habet Pater Joannes de S. Jacobo relat. q.* 30. *hujus synops.*

QUÆSTIO LXIII.

An studii Bibliorum Fructus sit lætificare?

1. PRoverbiorum 12. 25. legitur: *mœror in corde viri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur.* Nullus autem tam bonus sermo inveniri potest, quam sermo divinus: liquido igitur constat, quod mœror, qui dejecerat cor viri, haud melius expellatur, proindeque in lætitiam convertatur, quam sermone divino. Hinc dictum est *psalm.* 45. *v.* 5. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*: hoc est Sacrarum Scripturarum a Spiritu S. tamquam a fonte manantium irrigatio Ecclesiam fœcundat lætitia, & exultatione; ut explicant Augustinus *lib.* 13. *de civ. Dei cap.* 21. & S. Ambrosius *lib.* 1. *de Parad.* Atque equidem, quæ a Scripturis lætitia profluit longe ei præstat, quæ a sensibilibus trahitur. Illa enim est indeficiens, hæc cito evanescens: illa amaritudinibus non immiscetur, hæc sæpissime abundat; ideoque abundat, *ut illa quæratur cujus dulcedo non est fallax* (Augustinus *serm.* 29. *in Matth.*) Illa denique omnem plenitudinem habet juxta Domini sententiam: *Ut gaudium vestrum sit plenum*; hæc finibus suis exiguis sane continetur. Quamquam vero ex abundantia spiritualis lætitiæ tentatio lætantis interdum oriatur, ita ut Hieronymus super *Eccl.* 2. dicat *se indigere Angelo corripiente, & Angelo Satanæ, qui eum* co-

colaphizet, ne hinc elevetur; ex ipsa tamen lectione scripturarum remedia parantur, quibus cum tentatione proventum faciat atque victoriam.

2. Opportunis temporum ac Personarum circumstantiis visus est Gregorius aspectu gravis, vultuque terribilis. At plerumque lætitia plenus adeo erat, ut in alios etiam redundaret. Nam P. Joseph de Vides *fol.* 47. *processus* testatur: *Tantam esse suavitatem, & dulcedinem suæ communicationis, & conversationis, ut omnes specialem .... delectationem cum præsentia, & conversatione ejus acciperent: & ita non solum omnibus diebus festivis, sed etiam in aliis quibus poterat a negotiis suis sese eximere, ut alii ad hortos & recreationes, ibat ipse a Mexico ad oppidum de S. Fide, ut servum Dei videret: & horæ & dies quibus cum servo Dei erat, illi ut momentum videbantur.* P. Petrus Sarmiento *fol.* 95. *proc.* testatur: Quod *Omnes qui cum servo Dei loquebantur, gaudentes, & lætificati revertebantur ..... & de se ipso addit: visitasse eum frequenter, & quoties ab eo recedebat, eumque audierat, cor ejus gaudens, & lætificatum, desiderans ministerium suum serviendo pauperibus ægrotis adimplere.* Denique P. Fr. Michael de Talanera Provincialis Discalceatorum S. Francisci testatur *cap.* 16. *vitæ* apud Auct. *hujus operis q.* 32. *Ut ab eo* (Gregorio) *discessit, animam suam sensit possessam a gratia, quam in eo viderat.*

QUÆSTIO LXIV.

An studii Bibliorum fructus sit illuminare?

1. MIra sententia est S. Gregorii 4. *moral. cap.* 19. *Qui despecto temporali lumine, ad splendorem internæ claritatis recurrunt, ut ibi vivant, ubi verum lumen sentiendo videant, illuminari dicuntur luce viventium: qui autem adhuc huic mundo vivunt, luce morientium tenebrescunt.* Cum ergo Biblia doceant, ut, contemptis sæcularibus, inquirantur æterna: consequens est, ut, qui studio Bibliorum incumbunt; illuminentur, & quidem vitæ luce, juxta illud *Psal.* 118. *declaratio Sermonum tuorum illuminat.* Quippe in Bibliis vita Christi, qui est lux vera illuminans omnem hominem, & præclarissimorum virorum virtutis insignia, & beatissimi eorum ago-

agones memorantur, quæ omnia in perpetuum singulariter lucem, in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus sub sole pietatis exemplum ostendunt, ut loquitur Origenes *lib.* 1. *in Job.*

2. Ven. Lopesius ipso in limine rationis cum flagrasset Bibliorum intelligentiæ desiderio, & inde sedulo incubuisset, instar montis extitit, qui prima luce solis illuminatur, ut etiam luceat omnibus, qui in circuitu ejus sunt. *Fol. enim proc.* 17. relat. ab auct. *hujus oper. q.* 60. habetur quod *verba Gregorii videbantur esse luces intellectibus auditorum.... unde qui ea audiebant illustrati ad omne opus bonum operandum revertebantur.* Et infra *eod. fol. processs.* legitur: *quod plures, qui ut a viro Dei illuminarentur, & fugerent tenebras spirituales, quibus angebantur, ad eum recurrebant.* Atque inter ceteros *vidit Socius, ut cum loqueretur ad servum Dei Stephanus de Herrera, petiit ut ipsius curam supra se acciperet, ut viam spiritualem melius perficeret. Cui respondit Gregorius. Vade Frater; Magister tuus est Jesus Christus. Et scivit ab ipso Stephano statim hanc veritatem in anima sua sensisse, & vidit opere completam, quia cæpit progredi in spiritu suo tanta cum differentia quanta inter cæcum & videntem reperitur...* Denique *ex proc. fol.* 38. apud Auct. *hujus operis q.* 63. habetur: *venisse ad Oppidum de S. Fide adolescentem... desiderio eligendi statum, ut æternam animæ salutem consequeretur: & licet sapientes viros consuluisset religione, & sanctitate præcipuos... statim ut vidit & allocutus fuit Gregorium ita interius, & exterius se pacatum & compositum reperit, ut affirmaret vidisse in eo aspectum plusquam hominis, & cum rogasset eum ut a Domino sibi Lucem pro eligendo statu securiori impetraret: respondit ei Gregorius: quiesce: te enim Deo commendabo. Quibus tantum verbis auditis in perpetua spiritus serenitate permansit donec elegit Sacerdotis statum, & in eo fama magnæ sanctitatis mortuus est.*

QUÆSTIO LXV.

An studii Bibliorum fructus sit inflammare?

1. ELoquium Domini *vehementer ignitum* appellat Propheta *psal.* 118. Ignis autem lucere, & inflammare proprium est: oportet igitur, ut sicut lucem, ita & fervorem impertiatur.

Hinc duo Discipuli euntes Emmaus ipsa Dominicæ resurrectionis die inflammati sunt corde, quod illis Dominus sensum scripturarum exponeret. *Nonne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Luc.* 24. 32. Ex uno autem igne ut ignes accenduntur multi, ita ex uno studioso Bibliorum inflammantur multi, ideoque duo illi Discipuli dicuntur, aliorum corda desiderio videndi Dominum inflammasse. Et S. Augustinus *lib.* 9. *Confessionum cap.* 6. Dominum appellans, *Quas tibi*, inquit, *voces dabam in psalmis illis & quomodo inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare si possem, toto orbe terrarum*? Ut autem ejusmodi fructum pariat Bibliis applicatio, opus est, non obiter, non oscitanter, non intellectu dumtaxat elaborare: sed graviter, attente, pio voluntatis, animique sensu, cordisque affectu conari: alioqui eorum numero fuerimus, qui *Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*: *Rom.* 1.

2. Aptissimum vacandi Bibliis modum cum suscepisset Gregorius, facile intelligitur, quod ita divini amoris æstu fuerit inflammatus ut non solum *comederet, loqueretur, & exerceret quascumque operationes sive mentales, sive corporales absque eo quod actum puri amoris Dei, & proximi intermitteret*, ut legitur *cap.* 26. *vitæ* relat. ab Auct. *hujus operis q.* 31. & *q.* 41. apud eumdem Auctorem testatur P. Joannes a S. Jacobo, & *q.* 83. P. Fr. Dominicus de Salazar & *q.* 84. P. Petrus Sarmiento. Et *q.* 104. P. Joseph de Vides: *Sed etiam affatim omnibus participationem multiplicem præberet; siquidem videbantur verba illa tamquam scintillæ ortæ ex ejus inflammata caritate, & ita ejus audientes accensi cordibus suis, & moti ad omne opus bonum exequendum recedebant, ut fol.* 17. *proces.* testatur Socius. Hinc *Sacerdoti, qui magnis laboribus angebatur, suasit emere a se aurum ignitum ut locuples fieret*: *d. fol. proces.* 17. relat. ab Auct. *hujus Operis q.* 64.

QUÆ-

QUÆSTIO LXVI.

An ſtudii Bibliorum fructus ſit eſſe Pignus vitæ æternæ?

1. IN pignore, ut notat S. Ambroſius *de Tobia cap.* 20. Et S. Hieronymus *in Ezechiel.* 18., aliud *quidem eſt, quod tenetur, ſed tamen aliud quæritur.* Cum autem ſacram Scripturam teneamus, ut Deum cognoſcere, atque amare poſſimus ex dictis *qq.* 60., *&* 65. *hujus Synopſ.* Sed tamen aliud quæramus nempe beatitudinem; nam Dominus inquit *Joan.* 5. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere.* Eſt ergo Bibliorum ſtudii fructus, eſſe pignus æternæ vitæ; Dei ſcilicet tamquam prætii, ac præmii poſſidendi ſecuritatem habere. Quod ſi ab Apoſt. 1. *Epheſ.* 14. *inhabitatio S. Spiritus dicitur Pignus hæreditatis noſtræ in acquiſitionem gloriæ ſuæ*; ibi pignus accipitur ut pars quædam prætii integrè ſolvendi poſt mortem. At ſupracitatis in locis ſumitur, ut ejuſdem promiſſio tum in ſcripto, tum tradito verbo contenta, quorum ſtudio diſponimur ad Spiritus Sancti dona, cum vivimus, & complementum ſolutionis poſt mortem aſſequendum. Eſt enim Scriptura, ut alibi diximus, veluti Teſtamentum, quo voluntas Patris Dei nobis declaratur, ut vitæ æternæ hæredes conſtituamur. Oportet ergo voluntatem ejus inquiri ſedulò, omnique ſtudio impleri; quia vigilantibus & non dormientibus jura ſubveniunt.

2. Lopeſius ex Bibliorum ſtudio tam certum, firmumque pignus æternæ vitæ conſecutus eſt, ut *quando agebatur de rebus dubiis, & ſolutu difficillimis, reſponderet: Verrà il giorno, e ci approfittaremo; cum venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.* (*fol.* 25. *vitæ*) Sed certius æternæ ſuæ vitæ pignus declarat divinæ gratiæ, quâ donatus eſt, magnitudo. Cum enim dixiſſet quadam die P. Fr. Joanni de S. Jacobo Gregorius. *Ego cognoſco quandam animam, quæ ſpatio* 36. *annorum vel per unum inſtans nec fregit, nec interpolavit purum, & nudum actum amandi Deum totis viribus ſuis*, atque intuliſſet inde P. Fr. Joannes: *Cum iſte actus per tot annos continuatus in ſe innumerabiles, & pene infinitos contineat actus ſingulares, & cuilibet actui eorum in bona*

Theologia correſpondeat in hac vita gradus gratiæ, & meriti, & in alia gradus gloriæ; ſolus Deus poteſt comprehendere, & numerare gradus gratiæ, meriti, & gloriæ iſtius animæ; reſpondit Gregorius *Ita eſt*. De ſe autem ipſo hæc dixiſſe cognovit evidenter P. Jacobus, ut patet ex ejus teſtimonio relat. ab Authore *hujus Operis q.* 14. Sed his majora videamus. Teſtatur Illuſtriſſimus D. Alphonſus de la Mota *fol. 66. proc.* apud auct. *operis q.* 104. *Ven. Lopeſium vidiſſe Deum eo modo quo Creatura poteſt eum videre in hac vita mortali... per gratuitas repræſentationes, quas ſolet Deus ſibi valde dilectis communicare*. Et cohæret depoſitio Licentiati Loſſæ *fol. proc.* 41. relat. ab Auct. *hujus operis d. q.* 104. *Cum enim videretur huic Teſti horam mortis acceſſiſſe, dedit ei candelam ad bene moriendum benedictam, dicendo ei: tempus eſt ingrediendi videre ſecretum. Ad quod reſpondit valore mirabili: Non vi è ſecreto, tutto è chiaro, mezzo giorno è per me, & dedit Domino animam.*

CAPUT XI.

De Sanctitate, & Virtutibus in ſtudioſo Bibliorum requiſitis à S. Bonaventura.

SAncta Sanctè tractanda ſunt. Qui ergò vult ſtudio Bibliorum, quo aliud Sanctius eſſe non poteſt, operam dare, oportet quod habeat Sanctitatem. Sanctitas autem virtutibus innititur, iiſque imprimis, quæ Theologicæ nuncupantur, Fide, Spe, & Charitate. Fides enim dat ſtudioſo, per cognitionem adhærere Deo primæ veritati: Spes per conſtantiam dat conatum: Charitas per dilectionem dat requieſcere in ſummo bono.

QUÆSTIO LXVII.

An Fides Heroica ſtudioſum Bibliorum efficiat præſtantiorem?

1. AD hoc, inquit S. Auguſtinus *lib. 15. de Trin. cap. 1. debet homo eſſe intelligens, ut requirat* Deum, ſed ut

ut intelligat debet prius credere, *nisi enim credideritis, non intelligetis Isaiæ cap. 7. v. 9.* Quo magis itaque gradu intensior atque heroica fuerit fides, excellentiorem de Deo intelligentiam consequetur studiosus. Hinc SS. Patres exprobrant Judæis, quòd amissa fide, lucem amiserint intelligentiæ Scripturarum.

Quomodo ad excelsam pervenerit Bibliorum intelligentiam Lopesius sine causa quæri videtur: cum habeamus de heroica ejus fide integerrima testimonia; Adeo ut aptari maximè ei possit illud Apost. *Hebr. 11. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.* Vicit enim regna; cum sexennis regiam domum, copiamque divitiarum contemnens in Eremum confugit. Operatus est justitiam; cum omni virtutum genere sese exornaverit. Adeptus est repromissiones; cum perfectè assecutus sit sublimia quæque divinorum, eisque firmiter adhæserit. Adest enim summa Religione, ac doctrina vir Illustrissimus D. de la Mota Episcopus Tlaxcalensis, qui sibi certum habere testatur *fol. proc. 66. Servum Dei Gregorium oculo intellectus vidisse Deum illo modo quo creatura potest videre eum in hac vita mortali, per actus fidei supernaturalis.... Unde ex claritate intellectus Gregorii, & luce divina ei communicata actus fidei Servi Dei fuisse heroicos, & adeo excellentes, & suprà ordinarios, ut quodammodo dici possent visionis.* Cohæret dictis P. Fr. Joannes Zapata & Sandoval *fol. 106. process. Fides ejus* inquiens, *erat ita viva, & loquebatur in materiis fidei, & in suis difficilioribus, & magis absconditis mysteriis de Gratia, de Sanctissima Trinitate, & aliis nostræ Redemptionis, ut videretur habere quasi per visionem propter specialem communicationem, quam cum Deo habebat, & singulares, & interiores circa eam illuminationes.* Hinc Socio petenti, quî posset tam accurate virtutes cælare, ingenuè fassus est Lopesius. *Cælare virtutes non habet multam difficultatem ei qui vivam habet fidem, nam si homo firmiter credit, omnes suas virtutes in regno Cælorum esse videndas; quid si nihili ducat, eas in villula mundi ignorari?*

QUÆ-

QUÆSTIO LXVIII.

An Spes Heroica Studiosum Bibliorum efficiat præstantiorem?

1. HAud posse Bibliorum scientia quemquam proficere, nisi adsit firmitas spei certissimum est. Spes enim arduum respicit, & difficile obtentu, obtinendum tamen alterius auxilio: Bibliorum autem scientia cum sit maximè obtentu difficilis, maxima opus est firmitate spei; per quam sublata pusillanimitate, studiosus audeat ea investigare, quæ supra se ipsum sunt, tum precibus instet impetrare à Deo juxta illud Apost. *Rom.* 12. 12. *spe gaudentes... orationi instantes*. Quapropter spes duo præstat: *puritate conscientiæ magnanimiores facere, consuetosque audere majora*, ut inquit Bernard. *serm.* 32. *in Cant.*

2. Ascendit Gregorius in sublime Bibliorum intelligentiæ galea munitus firmissimæ spei. Sciens quippe *adhærere Deo bonum esse, & ponere in Domino spem suam*, nullo humano præsidio, nullo ductore, nulla rerum copia munitus remotissimas novi Orbis partes adivit, haud famem, haud regionis inclementiam, haud belluas, haud belluis sæviores Chichimecas perhorescens. *Nunquam aliquid in deserto ex his quibus extremè indigebat, sive verbo, sive nutibus petiit sibi dari* ut deponit Lossa *fol.* 28. *process.* relat. ab auctore *hujus operis q.* 51. Imo ne peteret ex sibi necessariis jussum esse à Domino, sed divinæ se dispositioni relinqueret, testatur P. Joannes *fol.* 121. *process.* relat. ab Auct. *hujus operis q.* 53. Adeoque concludendum cum Illustrissimo Domino P. Fratre Joanne Zapata: qui Gregorium in omnibus virtutibus heroicum postquam prædicavit: addit *fol.* 106. *process. Spes ejus adeo firma apparebat, & ita secura quasi jam in possessione haberet quod arduum & difficile sui objecti: ita ei adhærebat & intimiori majoris & firmioris securitatis, &c.*

QUÆ-

QUÆSTIO LXIX.

An Charitas Heroica ſtudioſum Bibliorum efficiat præſtantiorem?

1. CHaritas vinculum eſt, humanam cum divina fæderans amicitiam. Amicis autem ſecreta cordis ſunt, & animi intima quæque aperienda: & quanto major eſt amicitia, tanto ſecretiora ſunt patefacienda. Qui ergo heroica prædítus eſt charitate, præſtantior efficitur Bibliorum, quibus arcana Cæleſtia continentur, inveſtigator. *Ille enim*, ut inquit Auguſtinus *de laud. charit.*, *Tenet & quod latet, & quod patet in divinis ſermonibus*; ideſt multiplices ſenſus ſpitituales, & ſenſus litterales.

2. Ut prima lux rationis effulſit, optavit Lopeſius Deum diligere, & Biblia intelligere; atque duo hæc inter ſe adeo conjuncta fuere, quod ſimul in uno, atque in altero proficiebat. Sed de charitate Lopeſii in Deum, ex qua tamquam fonte tum Bibliorum peritia, tum omnes virtutes derivarunt, ut teſtatur P. Frater Joannes à Sancto Jacobo *apud Auct. Operis qq.* 13. 40. *&* 53. pauca dicam: *Extitit ſingularis*, ut verbis utar ejus ſocii *cap.* 26. *vitæ* relat. ab auct. *hujus operis q.* 23. *Per triginta ſex annos enim nec fregiſſe unquam, nec interrupiſſe purum & nudum actum amoris in Deum* non modo de aliis Sanctiſſimis viris non legimus, ſed vix intellectu percipimus, & fide dignum judicamus; Niſi adeſſent plures integerrimi teſtes, quos inter, ut brevitati conſulam, P. Fr. Joannes à Sancto Jacobo de quo ſupra *q.* 66. *hujus Synopſ. Sive enim comederet, ſive loqueretur, ſive quaſcunque operationes exerceret tum corporales, tum mentales, nunquam hujus exercitii divini amoris etiam per breve tempus potuit obliviſci*; ut teſtatur Licentiatus Loſſa *cap. vitæ* 26. relat. *q.* 65. *hujus Synops. Quia pariter videbat Deum in minimis ac in maximis rebus*, ut habetur *cap.* 17. *ejus vitæ* relat. ab Auct. *hujus operis q.* 1. *Unde ſemper extaticus videbatur*, & intime Deo conjunctus ut dictum eſt *q.* 29. *hujus Synopſ. Et ex hujuſmodi conſortio ſeu continua communicatione, & converſatione cum Deo* judicavit Epiſcopus Tlaxcalenſis relat. ab Auct. *hujus operis q.* 56. *è carne & corpore viri Dei jam mortui odorem fluxiſſe ſuaviſſimum.*

3. Sed

3. Sed plena sunt de singulari erga Deum Lopesii charitate testimonia, quæ etiam mentionem faciunt de charitate in proximum, ut quæ ab illa separari non potest. Nam præter alios relat. ab Auct. hujus Operis *qq.* 83. 84., *& alibi passim.* Testis est P. Fr. Joannes de S. Jacobo, qui deponit *fol. process.* 124. *quod habuit Vir Dei Gregorius magnam in summo gradu charitatem, & pietatem, & compassionem erga proximos.* Proindeque *docebat amorem proximi non consistere in verbis, neque in dicendo, bene diligo proximum, sed in bene operando cum illo, & pro illo,* ut testatur Socius *fol.* 21. *proc.* Et opere imprimis egregio doctrinam complevit ipsemet Servus Dei. *Nam ut ferret animam illius mulieris,* de qua supra diximus *q.* 57. *secum in Cælum, quando ipse ex hac vita egrederetur: supra magnos dolores, quos patiebatur ex propria infirmitate, qui erant adeo magni ut cum de ulla noxia nunquam quereretur, hoc tempore graviter doleret; suscepit pœnam mulieri debitam in peccatorum solutionem,* ut fusius refert Socius apud Auct. *hujus operis d. q.* 57.

QUÆSTIO LXX.

An juvet Studiosum Bibliorum Prudentia?

1. POst Theologicas maxime juvari à Cardinalibus virtutibus Bibliorum Studiosum supereſt demonſtrandum. Initio autem de Prudentia, quæ prima ceterarum est, facile ostenditur. Est enim Prudentia secundum communem sui rationem virtus intellectualis habens pro objecto verum practicum, & præscribens modum ad finem consequendum. Proindeque studiosus Prudentiâ præditus melius disponitur ad Bibliorum scientiam, quæ tum practica est juxta sententiam *Jacobi* I. 22. *estote factores verbi & non auditores tantum,* tum media ad eumdem finem aptius ordinat: Juxtà illud *Sap.* 8. 1. *disponit omnia suaviter.*

2. Gradum addidit summæ Bibliorum peritiæ Lopesius virtute Prudentia, quam quidem Lossa aliique summis laudibus, celebrant. Sed illud esse maximi ponderis testimonium videtur: quod cum plures essent omni studio intenti, qua ratione sese gereret Lopesius; plures etiam missi, ut accurate investigarent modum, quo suas operationes in eo vitæ genere cæteroquin tam sin-

singulari disponeret : tandem optimum ac Sanctissimum esse hominem confessi sunt *magnumque in eo abscondi divinæ & humanæ prudentiæ thesaurum*, ut Rev. P. Alphonsus Sanchez Soc. Jesu missus ob id a Metropolitano deponit *cap. vit. 7. apud auctorem operis quæst. 33.* Et *fol. 9. processi.* cohæret depositio cujusdam Presbyteri relat. ab Auct. *hujus operis q. 52. dum eum moribus inculpabilem prædicat.*

3. Illud etiam singularis prudentiæ, qua suos actus exactissimè ordinabat Gregorius, firmissimum est argumentum; quod *cum Servus Dei semel à Demone in forma visibili fuisset invasus & roganti, quid tunc, ut ab eo se defenderet, operatus esset? Respondit: Visum fuit mihi non posse a me fieri aliquid melius quam quod agebam. Et ita illud totis meis viribus fui prosecutus*, ut testatur Socius *fol. 26. proc.* apud Auct. *hujus operis q. 66.* Interrogatus verò à Fr. Joanne de S. Jacobo, *quomodo se ad Missam præpararet, si esset Sacerdos, aut cito moriturus*; respondit, *non amplius quam facio*, ut constat *fol. 32. proc.* relat. ab Auct. *hujus operis q. 88.* Hinc magna cujuscumque conditionis hominum frequentia ad illum confluebat, ut de rebus spiritualibus conferrent, ut patebit *seq. q. hujus Synops.*

QUÆSTIO LXXI.

An juvet Studiosum Bibliorum Justitia?

1. Sive accipiatur Justitia ut Generalis est virtus *importans rectitudinem ordinis in ipsa interiori dispositione hominis, prout sc. supremum hominis subditur Deo, & inferiores vires animæ subduntur superiori sc. rationi*: sive ut Particularis *importans ordinem rectum in ipso actu hominis tum in comparatione ad alium hominem, tum in comparatione ad bonum commune multitudinis*, ut declarat S. Thomas 1. *p. q. 113. ar. 1.* Juvari plurimum justitiæ virtute Studiosum Bibliorum procul dubio esse debet. Dum enim Studiosus habet judicium bene compositum, facile intelligit, quo jure debiti obligatur ad hoc studium tum in ordine ad Deum, cui subjicitur, tum in ordine ad alios, quibus consulere tenetur, & consequenter pro exacta suæ obligationis mensura Sacro Bibliorum studio impensius vacabit.

2. Gregorio lux Scripturarum orta est justo. Nam si justitiam spectamus communem virtutem; ita ejus ratio erat perfectè Deo subjecta, ut contra quoscumque conflictus hostiumque certamina remedium haberet illis verbis, *Fiat voluntas tua* quemadmodum supra probavimus *q.* 41. *hujus Synops.* Hinc P. Doctor Petrus de Hortigiosa *fol.* 54. *proces.* apud Auct. *hujus operis q.* 81. testatur; *Datam sibi fuisse opportunitatem referendi aliquas contradictiones personarum non benè sentientium de modo quem servus Dei in vita observaverat: forte quia non erat juxta modum vivendi eorumdem. Hic vero testis utpote, satisfactus de Sanctitate, & recto modo, quem semper observaverat, sperabat fore dèclarandum inter Sanctos, & exaltandum propter vituperia quæ contra rationem patiebatur.* Quod confirmatur etiam testimonio Franciſci Lossæ *fol.* 9. *proces.* relat. ab Auct. *hujus operis q.* 52. *Quidam enim observarunt vitam & exquisitum modum vivendi eruditissimi juvenis, murmurantes à conversatione hominum segregari. Quod notum, fecerunt Episcopo Tlaxcalensi, qui facta exacta de moribus & vita Servi Dei informatione magno cum Concilio innocentiam, & Sanctitatem Gregorii declaravit.* Si verò justitiam consideremus specialem virtutem in ordine ad alios: quamquam Lopesius Solitarium agens ab illius exercitio videretur absolvi, nihilo tamen minus omnibus omnia quæ necessitas, sive utilitas posceret æternæ præsertim salutis, est impertitus; ut in superioribus fusè probavimus. *Hinc nullum hominem extraneum judiabat, cum omnes ei essent charitate fratres... omnibus semper patebat: nulli ingressum, ut secum loqueretur, negavit sine exceptione temporis aut Personarum: omnibus consilia dabat salutaria: omnes consolabatur, omnibus consilium suum ergà Dominum nostrum offerebat: unde ab omnibus visitatus fuit usque ad mortem, præsertim à viris Religiosis, sapientibus & eis qui erant in dignitate constituti. Etiam ad eum veniebant Equites nobiles jam personaliter, jam per nuntios, ut ab eo consilia & orationes ad Deum peterent ut negotia bene expedirentur.* Hæc testatur Socius *fol.* 14. *proces.* relat. ab Auct. *hujus operis q.* 62. Eique consonat præter alios P. Joannes de S. Jacobo relat. ab Auct. *hujus operis q.* 13. *Charitas*, inquiens, *est fons, mater & origo omnium virtutum. Et cum Gregorius semper esset in actu nudo amoris, & charitatis ergà Deum, & proxi-*

ximum; in hoc fonte, radice & origine ei Dominus semper communicabat omnes virtutes, ut ipse eas proximis communicaret.

QUÆSTIO LXXII.

An juvet Studiosum Bibliorum Temperantia.

1. Sive consideretur Temperantia ut generalis virtus quatenus est refrænatio cupiditatis ab iis omnibus quæ temporaliter delectant: sive ut specialis virtus, quatenus moderatur tactûs delectationes; utroque modo juvat Studiosum. Nam, ut ait S. Ephrem *cap. de temper. Eradicatis appetitibus & cupiditatibus cordis, & passionibus animæ, earum loco hæc virtus seminat desideria bona, & Sancta.* Et subdit S. Dionysius *lib. de divin. nom. cap. 4. Moderatis & temperatis delectationibus corporis melius fruitur pace, & tranquillitate Studiosus, at ad studium provocetur.*

2. Studiosum Bibliorum profeciſſe etiam virtute temperantiæ Gregorium constat ex eo, quod omnes animi corporisque cupiditates delectationesque Oratione, jejunio, maceratione, silentio, paupertate cohibuit. Nam quoad animum *lætitia sua erat solus Deus, Deliciæ suæ & gloria erant*, ut supra memoravimus *q. 51. hujus Synopſ. Licet enim inferior esset beatis spiritibus, illis tamen assimilatus propter puram, nudam unionem, quam semper cum Deo habuit*, ut ex manifestis signis permotus deponit P. Joannes relat. ab Auctor. *hujus operis q. 40.* Quoad vero corporis delectationes: *etiam florum & rosarum acutarum cavebat odorem: eas tamen, quas ipse vocabat castas ut lilium album, & Rosam Alexandrinam inter cæteras eligebat, quia natura sua sunt refrigerantes, rarissimè tamen quia perpetuo sensus, mortificabat*, ut testatur Episcopus Tlaxcalensis *fol. 66. proceſs.* relat. ab Auct. *hujus operis q. 56.* Et confirmatur ex eo quod Socius deponit *fol. 123. proceſſus* Servum Dei *comediſſe solum ad subſtentandam naturam semel in die sine perceptione gustus, aut delectationis.* Cui P. Joannes cohæret apud Auct. *hujus operis qq. 104. & 112.*

QUÆSTIO LXXIII.

An juvet Studiosum Bibliorum Fortitudo?

1. FOrtitudo secundum communem rationem accepta est virtus, quæ dat firmitatem contra quascumque passiones, adeo ut nullis illecebris emolliatur animus, non adversis perturbetur, non terribilibus inflectatur, non extollatur secundis. Fortitudo verò specialiter accepta est virtus moralis, qua quis in recta ratione officio suo incumbit, ut in acerbis nec timeat, nec aggrediatur aliquid nisi prout oportet; hoc est inter timores, fiduciasque versatur. Cum autem certum sit, in hoc studio plures esse labores obeundos, voluptates fugiendas, præsumptionem comprimendam: ut quis proficiat, est opus fortitudine.

2. Præstantissimum in Bibliorum Peritia Lopesium fateri debet, quisquis prope singulari fortitudine præditum agnoverit. Scimus adhuc sexennem nec Patriæ, nec Domus, nec Parentum ullis illecebris fuisse inflexum; non conceptis animo aut expertis periculis, & calamitatibus retardatum, difficillima aggressum fortiter, novam Hispaniam petiisse, horribili deserto concluſum arduum & prope incredibile vivendi genus suscepisse; cum ipsis Demonibus bellum gessisse firmum sibique perpetuò constantem, adeo ut merito eum existimaverint omnes æqui Spirituum judices *virum magnæ fortitudinis, & magnanimitatis in agendo, & patiendo adeoque nec prosperis nec adversis mutaretur*, ut omissis cæteris, testatur Episcopus Guatimalensis *fol.* 108. *proces.* relat. ab Auctore *hujus operis quæst.* 80. Quid quod *nunquam labores & afflictiones suas cum aliquo homine communicare voluit, nec in aliqua humana creatura consolationem accepit, licet aliquando propter utilitatem proximi aliquam ex sibi perpessis afflictionibus referebat*, ut testatur Socius *fol.* 25. *proces.* *Sed res est valdè clara, ut fol.* 34. *proces.* legitur, *Servum Dei fuisse excellentem Martyrem spiritualem. Cum enim videret se morti proximum, recepit eam sine suspicione, aut timore; respiciens vicinam mortem majori lætitia, quam mundani recreationem & delicias suscipiunt: repetens: mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* O verè fortitudo specialis,

cialis, quæ firmat contra pericula mortis. S. Thomas 1. 2. *q.* 61. *art.* 3.

QUÆSTIO LXXIV.

An juvet Studiosum Bibliorum Religio?

1. QUamquam Religio non sit virtus intellectus, sed voluntatis, quia ejus perfectio non attenditur secundùm considerationem veri, sed secundùm devotionem, seu promptitudinem tribuendi Deo honoris actus propter summam ejus excellentiam; occasio tamen est, ut studiosus consideret, quanto virium conatu sese Bibliorum studio debeat applicare, & dignum præstet, quoad fieri potest, eidem studio famulatum; quem honori Dei Optimi Max. conducere apertissimè constat; quia in Bibliis omnia divinæ voluntatis, cui pareamus, signa manifestantur; omnia actuum humanorum, quibus Deum potissimè colimus, præcepta traduntur: series omnium Mysteriorum, quorum obsequio humanum captivamus intellectum, continentur.

2. Novit Gregorius quantum posset in studio Bibliorum proficere virtute religionis, atque ideo quoad actus internos, & externos eam ita coluit, ut summa veneratione Sanctissimum Altaris Sacramentum prosequeretur, *ac spiritualiter frequentaret, vel per ferventissimum desiderium recipiendi Deum sacramentaliter, vel faciendo se templum vivum, & purum Sanctissimæ Trinitatis, dans ei actualiter in corde Hospitium, ut semper in eo viveret, & quiesceret*: ut testatur Lossa relat. ab Auct. *cujus Operis q.* 31. Passionis quoque & mortis Christi affectissimus erat, *illamque æterno Patri pro salute Mundi pro particularibus Personis, aut rebus offerre toto cordis affectu consueverat*; ut refert idem testis apud Auct. *hujus Operis d. q.* 31. Et *q.* 109. Dum in Templo aderat, ut rebus divinis vacaret, verbum ullum neque dicebat, nec pati poterat; sed *si urgens occurrebat negotium, foras exibat, ut breviter audiret & expediret*, juxta probata *fol. proces.* 25. apud Auct. *jus Operis q.* 54. Vide etiam hac de re *qq.* 75. 88. & 89. *hujus Synopf.*

QUÆ-

QUÆSTIO LXXV.

An Studiosum Bibliorum juvet Oratio?

1. INter præcipuos actus religionis est Oratio. *Quando autem orationibus invocamus Deum, revelata mente adsumus ipsi*, inquit S. Dionysius *lib. de Divin. Nom. cap. 3.* Pendet itaque mentis illustratio ad ea maximè assequenda, quæ obscura in Bibliis plurima sunt, ab oratione tamquam a causa si non principaliter ac necessario, saltem ut connaturali modo disponente ad istum effectum. Unde concludit idem S. Dionys. *Ante omnia ab oratione incipere est utile.*

2. Ad sublimem Bibliorum Scientiæ gradum, etsi alia multa, oratio etiam fervens, assidua, atque universalis extulit Gregorium. Nam ut testatur ejus Socius *fol.* 11. *proces.* *Finito Lectione Bibliorum à qua opera diei incipiebat, succedebat Orationis exercitium adeo internum, ut nullo signo appareret; an ipse cum Deo, vel Deus illi loqueretur: solùm potuit conjecturare ex magna modestia, & compositione sensuum, & ex serenitate, & gravitate vultus esse in assidua præsentia Dei, ita ut nunquam ab eo conspectum averteret.* Ac præter ea quæ P. Fr. Joan. à S. Jacobo *fol.* 128 *proc.* deponit, hæc testatur P. Joseph de Vides *fol.* 47. *Oratio Servi Dei Gregorii erat valdè extraordinaria: nam semper in illa perseverabat cum præsentia perpetua Dei; nam ita apparebat in modestia, & magna ejus compositione, quod in conspectu Dei perseverabat cum oculos in terra fixos haberet, nec corpus, manum, aut pedem moveret.* Quippe ut *fol.* 33. *proc.* Socius prosequitur: *Omnia mala, & bona hujus Mundi erant Servo Dei orationis motivum... & desiderabat, ut omnes proximi in operibus exsterioribus non cessarent ab orando Deum; cum ut expertus, sciret grandia bona, quæ in hoc reperiuntur... Alio modo Orandi scitu & imitatione dignissimo utebatur Servus Dei, scilicet quod quotiescumque locuturus erat, aut responsurus, aut aliquid petiturus, orando ponebat Spiritum suum in Deo, invocans divinam gratiam, ut rectè operaretur. Etiam scivit à Servo Dei, quàm magna cura orationem exercebat pro exaltatione S. Fidei Catholicæ in omnibus Regnis. Etiam orabat magna cum instantia pro peccatoribus, & di-*

& dicebat hanc orationem esse Domino nostro gratissimam ...: etiam faciebat amore & fortitudine plenam instantiam in orationibus ad Deum, ut ad se adduceret omnes gentes, & nationes, convertendo eas, ut in gremium S. Matris Ecclesiæ ingrederentur; & ut reduceret Judæos, & Hæreticos ad S. Fidem Catholicam.

3. Efficaciam Orationis servi Dei pluribus exemplis ex processu petitis Auctor *hujus Operis* probat tum in *hac quæst.* tum *qq.* 63. & 84. quæ brevitatis gratia prætermittimus.

QUÆSTIO LXXVI.

An scientia Bibliorum inflet, vel humilem potius studiosum efficiat?

1. SAcræ litteræ utriusque Testamenti tum verbo docent, tum pulcherrimis exemplis declarant flatum superbiæ esse fugiendum, atque humilitatem æmulandam: idcirco quanto magis in Bibliorum scientia quis proficiet, tanto magis eorum doctrinæ, & exemplis conformabitur. Præterea, cum *in Sacris Scripturis quò plus procedit quis, eo majores illi occurrant difficultates*, ut inquit Hieronymus *in cap. 4. Ephes.* hinc movetur Studiosus humiliter sentire cum D. Augustino *epist. 119. cap. 21. ad Januar. Multò nescio plura, quàm scio.* Quod si aliquem scientiâ Scripturarum inflatum, atque in magnam sui opinionem evectum legimus, aut audivimus, abusui ipsius, non vitio scientiæ tribuendus defectus. Vicissim autem humilitas dispositio est ad Bibliorum scientiam comparandam. *Proverb. enim* 11. habetur: *Ubi humilitas, ibi sapientia.* Unde concludit S. Augustinus *epist. 25. ad Dioscor. Non aliam ad capessendam, & obtinendam veritatem, & sacram sapientiam viam munias, quàm munita est ab eo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quotiescumque interrogares, hoc idem dicerem. Itaque sicut Demosthenes in eloquentia pronunciationi primas, secundas, tertias dedit: ita ego in Christi sapientia, primas, secundas, tertias dabo humilitati, quam Dominus noster, ut doceret, humiliatus est.*

2. Non

2. Non potuisset Gregorius ad mirabilem illam Bibliorum scientiam provehi, nisi antea curasset profundius humiliari. Hinc non erectus, non inflatus tanta doctrina est: sed jugiter repetebat: *Nihil sum, nihil æstimor*, ut testatur Socius *fol. 27. proces. Et quando ad eum veniebant proximi, ut in dubiis, & difficultatibus eum consulerent, orabat Deum, ut ipse immediate doceret, & illuminaret eos, ut non sibi hæc gloria, sed Deo unico bonorum auctori tribueretur* (*fol. 28. proc.*) *Se verò non disputare, nec aliud scire ajebat, nisi id quod Deus illi intelligere concedebat*, ut deponit Johannes de Bohorques Episcopus Guaxaquensis relat ab Auct. *hujus operis q. 20.* Præterea cum referebantur ei, *quæ nonnulli a suis meritis aliena dicebant, excusabat dicens, illos bene, & rationabiliter loqui, secundum ea, quæ de illo intelligebant, quia ipse erat homo otiosus, inutilis, & qui supplicium merebatur*. Hæc Doctor Petrus de Hortigiosa *fol. 35. proces.* Unde merito commendabile protulit testimonium P. Fr. Joannes de S. Jacobo *fol. 122. proces. Quod humilitas Servi Dei Gregorii fuit in gradu heroico, & supremo. Cum enim esset semper in actu nudæ unionis cum Deo, & haberet altam, & certam de esse divino & infinito cognitionem, hinc ejus humilitas oriebatur, cum se ut purè nihil in seipso intuspiceret, desiderans, ut ab omnibus nihili æstimaretur, quæ est perfectissima humilitas Beatorum. Et ab hac humilitate ortum fuit, ut nunquam fecerit se aliorum magistrum, nec docuerit aliquem, sed tantum ei, quod ab eo interrogabatur, magna cum humilitate respondebat, licet magna cum distinctione, claritate, & sapientia, quando id negotium exigebat, absque eo, quod nusquam hic testis in Servo Dei, & in ejus operibus, verbis & actionibus nisi quandam profundam humilitatem cognoverit*. Denique, ne longior sim, habetur *fol. proc. 25.* relat. ab Auct. *hujus oper. q. 52.* quod *cum Marchio de Villamarique rogasset, in quo ministerio hospitalis Guastepec Gregorius occuparetur, atque respondisset Lossa: semper esse intra cubiculum itaut inde non exiret; & orationi instare: Tunc Marchio dixit: libenter ego hominem hunc ducentis flagris cederem. Quod cum intellexisset Gregorius, subsidens, & defensionem Marchionis assumens dixit: rationem habet. Homo enim otiabundus bene meretur ducentis flagris cedi. Certe Domini* val-

valde occupati parum advertere possunt, quid sit exercitium interius.

QUÆSTIO LXXVII.

An studiosus Bibliorum labori manuum vacare debeat?

1. CUm melioribus non est occupatus exercitiis studiosus Bibliorum, honesto aliquo manuum opere uti posse, ac debere existimat S. Augustinus *in lib. de oper. Monachor.* Quippe tum exemplo Apostolorum, & Primitivæ Ecclesiæ praxi, tum auctoritate SS. Patrum, tum ratione id evincitur. Scribit namque Apost. *ad Thessal.* 2. 3. 8. *Nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus.* Sanctus Clemens *lib.* 1. *Constit. cap.* 63. ita hortatur Fideles: *Operi vestro vacate, ut omni tempore, & vobis, & egentibus suppeditare possitis, ne Ecclesiam Dei oneretis. Etenim nos quoque vacantes verbo Evangelii succisivas horas non negligimus; alii enim ex nobis Piscatores sunt: alii scenarum artifices, alii agricolæ.* S. Ephrem Syrus in illud, *attende tibi cap.* 5. sic studiosum alloquitur: *Disce operans, ut non discas mendicans.* S. Antonius Magnus, ut ad laborem hujusmodi nos inducat, a Deo monitum se fuisse commemorat. *Antoni, quæris Deo placere? ora, & dum orare non poteris, manibus labora, & semper aliquid facito.* Si enim sacro studio opus aliquod manuum honestum adjunxerimus, animum labore defessum, ut naturæ infirmitas exigit, relaxabimus: Victum pauperibus, & nobis ipsis, si opus fuerit, comparabimus: corpus ad utilitatem exercebimus, desidiæ & socordiæ locum non relinquemus.

2. Edoctus Apostolorum exemplo, doctrina Sanctorum, re ipsa Lopesius, ut in Eremum se contulit cellulam construxit, hortum coluit: vetere sacco, quo indutus erat, attrito, accessit ad ditem hominem, ut *labore suo, & industria vile aliud indumentum compararet* (*q.* 43. *hujus synop.*) Eremum reversus subuculam propriis manibus consuebat, *filum quo ad suendum indigebat, ex panniculis linostinis nebat* (*fol. proceff.* 7. *&* 29. *proc.* relat. ab Auct. *hujus operis q.* 53. *&* 87.) calceamenta triennali usu attrita restaurabat, linteamina lavabat, globum mundi, mappam propriis manibus affabre composuit, ut constat *ex*

proceſſ. fol. 28. *&* 29. relat. ab Auct. *hujus oper. d. quæſt.* 53. quin tamen hiſce variis occupationibus revocaretur ab actu puri amoris in Deum, memor ſententiæ D. Ephrem *tract. de conſummat. ſæc. Ne fugias laborem, ne perdas coronam.*

QUÆSTIO LXXVIII.

An corpore pulchriores ſint etiam aptiores ſtudio Bibliorum?

1. CORporis pulchritudo non ſolum in lineamentis, & concinnitate vultus, ſed etiam integritate, proportione, aptaque omnium memborum diſpoſitione conſiſtit. Illa plerumque aptiorem indicat ſtudioſum, hæc facit. Ex aſpectu enim Socrates de animi indole judicium ferebat, ut refert S. Gregorius Nazianzenus *orat. contr. Julian.* Et Ariſtoteles: *ex facie*, inquit, *qui ſimus maxime agnoſcimur*: quamquam aſſidua ſtudiis applicatio, laborum perpeſſio colorem obliterare, venuſtatem detergere ſoleat. Quod verò apta membrorum diſpoſitio ſtudioſum efficiat aptiorem, liquido conſtat. Nam corpus cum ſit animi inſtrumentum, ac ſine ope ſenſuum, & corporeorum phantaſmatum intellectus nequeat ſuas exerere operationes, quanto perfectius organa corporis fuerint diſpoſita, tanto magis ad intelligendum juvabitur animus. Ceterum ſupra omnem vultus formam, & membrorum diſpoſitionem, magis indicant, efficiuntque ſtudioſum aptiorem ornamenta virtutum juxta proloquium illud: *Virtutibus ſigna vincuntur.*

2. Naturæ auctor Deus ita Lopeſii corpus efformavit, ut ſtudio Bibliorum aptiſſimum ingenium indicaret, & faceret. Nam ſi B. Albertus Magnus, & D. Thomas de pulchritudine Chriſti Domini agentes, eam in tribus collocarunt nempe in membrorum omnium integritate, in debita eorumdem proportione, in naturali colore, qui ex bona complexione naſcebatur: hæc quidem omnia fuiſſe cælitus Lopeſio collata Socius declarat *fol.* 20. *proceſſus*. Sed brevitati conſulens miſſa facio, cum tanti non ſint, ut a gravioribus nos retardent.

QUÆ-

QUÆSTIO LXXIX.

An qui præstantiori Intellectu, Memoria, ceterisque naturæ dotibus exornatur, debeat studio Bibliorum impensius vacare?

1. QUi naturæ dotibus præstat; magis commensuratur huic studio; seu facilius assequi potest divinorum intelligentiam. *Posse* autem omne debet ad actum ordinari, alias frustra esset datum: oportet igitur studiosum hujusmodi impensius Bibliis vacare.

2. Præstantissimis naturæ dotibus fuisse Lopesium a Deo exornatum, nihil dicam amplius, quam dictum probatumque est tum in hac Syn., tum *qq.* 9. & 80. apud Auct. *huj. oper.* His vero dotibus, quam exactè responderit satis evincitur, tum ex fide Socii *fol. proc.* 29. apud Auct. *hujus oper. q.* 12. Quod *Gregorius semper secutus fuit gratiam Dei*: Tum ex *cap.* 10. *ejus vitæ* relat. *q.* 5. *huj syn.* Quod nimirum *exercitia ejus non erant nova ... licet semper majori facto augmento*. Tum denique ex testimonio P. Joannis relat. *q.* 95. *hujus syn.* Quod scilicet *nulla res creata eum impediret, aut tepefaceret .... sed semper antegrediebatur*.

QUÆSTIO LXXX.

An sanctitas altiorem pariat Bibliorum intelligentiam. Atque e converso?

1. NUllo modo posse ad altiorem Bibliorum intelligentiam perveniri absque sanctitate, docet S. Bonaventura loco superius allato: *Qui autem vult*, inquit, *in hoc studio proficere, oportet quod habeat sanctitatem*. Objectum namque excellentius se, nequit facultas attingere, nisi supra se, idest supra naturæ vires extollatur ab aliqua virtute. Est verò altior Bibliorum intelligentia, est supra omnes vires humanæ naturæ, ut fusius supra probavimus. Ergo est opus sanctitate, quatenus ea sola extollit hominem supra conditionem propriam. Atque hæc vicissim Bibliorum intelligentia parit sanctitatem. Nam sacrorum contemplatio; Præceptorum, consiliorum, atque exemplorum illustrium alta cognitio maxime disponunt ad mores pie sanctèque instituendos, ad virtutes omnes, & gratiam sanctificantem a Divina misericordia impetrandam, augen-

gendamque, ut rationibus & exemplis adductis *qq.* 61. 64. & 65. *hujus ſynopſ.* manifeſte apparet.

2. Lopeſius communi quodam vinculo Sanctitatem cum altiſſima Bibliorum intelligentia ita ſociaſſe viſus eſt, ut merito dubium ſit: ad laudem ſanctitatis plus valuiſſe ejus doctrinam, quam ad doctrinæ laudem plus valuiſſe ſanctitatem.

QUÆSTIO LXXXI.

An Sanctus Timor conferat ſtudio Bibliorum: atque e converſo?

1. COmparatur in Scriptura Sanctus Timor ad ſapientiam ſicut radix ad arborem; nam *Eccl.* 1. dicitur *radix ſapientiæ eſt timere Deum, & rami illius longævi*. Sumit autem ex radice arbor incrementum, & fructus: ex timore itaque ſancto efficitur quis Sapientior. Atqui *vera ſapientia non ſolum eſt cognoſcitiva divinarum rerum, ſed directiva humanæ vitæ ſecundum rationes divinas*, ut ait Auguſtinus *lib.* 20. *de Trin. cap.* 14. Ergo Bibliorum ſcientia e converſo ſtudioſum efficit ſanctè timoratum.

2. Sancto Dei timore prædituin Gregorium commendant opera ejus. Edoctus namque prima ætate Chriſti monitum: *Ne terreretur ab his, qui occidunt corpus, ſed timeret eum, qui habet poteſtatem mittere in gehennam*, haud timuit deſertum petens truculentos homicidaſque chichimecas, maledicentium injurias, militum offenſiones, Dæmonis impetus, diuturnoſque conflictus, ſed ſolum Deum malorum vindicem, eumque ne levi etiam piaculo offenderet, duriſſimæ ſeſe vitæ rationi ſubegit. At quoniam *timeri utiliter, & amari Deum* intellexerat ex eadem Scriptura, timendo quidem amare cœpit, dum uſque ad perfectam venit caritatem, *perfecta autem caritas foras miſit hujuſmodi timorem. Joan.* 1. 4. proindeque cum charitate conjunxit timorem verè filialem, non ex metu ſcilicet, ſed ex reverentia in Deum, de quo Apoſtolus *Rom.* 8. 5. inquit: *Accepiſtis ſpiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus Abba Pater*. Hinc mirabilem fuiſſe modum, & affectum quo recitabat Lopeſius *Pater noſter*, uberrimoſque fructus percipiebat, *teſtatur Socius fol. proceſſ.* 32.

QUÆ-

QUÆSTIO LXXXII.

An Sanctitas Bibliorum ſtudio conjuncta vitæ Religioſæ profectum pariat?

1. Religioſa vita bifariam dividi poteſt: in eam ſcilicet, quæ ſecundum regulas perfectionis in quolibet ſtatu ducitur: & in eam, quæ in ſtatu monaſtico per ſolemnem profeſſionem exercetur. Ad primum Religioſæ vitæ genus refertur D. Bonaventuræ ſententia: *Oportet quod habeat ſtudioſus Sanctitatem, ut poſſit ſtudere ad vitam Religioſam*, id eſt perfectè regulatam. Monaſticæ verò vitæ profectum pendere ex ſanctitate, Bibliorum ſtudio conjuncta, patet manifeſtè. Nam ex eo carnis tumultus reprimitur, juxta illud *Eccl.* 31. *Vigiliæ honeſtatis tabefacient Carnem*. Paupertas ſervatur, juxta illud *ſapien.* 7. *Divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.* Obedientia cuſtoditur, juxta illud *Eccl.* 3. *Natio illorum* (Filiorum ſapientiæ) *Obedientia & dilectio*. Humilitas colitur, nam Sanctorum ſapientium eſt, cum Dei mirabilium rationem aſſequi non valent, confitentes neſcire ſe, ad potentiam facientis totam facti rationem referre, juxta illud Davidis 70. *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini*. Charitas fovetur, juxta illud *Eccl.* 1. *Corona Sapientiæ timor Domini replens pacem*.

2. Quam exactis Religioſæ vitæ inſtitutis ſeſe conformaverit Eremita Lopeſius, heroica omnium virtutum monumenta teſtantur, de quibus ſupra *qq.* 67. 68. *& ſeqq. hujus Synopſis.*

QUÆSTIO LXXXIII.

An Sanctitas ſtudio Bibliorum conjuncta ad vitam ſui, & aliorum ædificatoriam conducat?

1. *Bibliorum Studioſus oportet ut habeat Sanctitatem ad vitam ædificatoriam*, inquit Seraphicus Doctor. Nam ſi ſtudioſus vitam contemplativam ſectetur, ab hoc ſtudio omnia ejus fundamenta ſumuntur, & cuncta præſidia derivantur, ſcilicet errorum expulſio, intellectus illuminatio, voluntatis inflammatio. Si vitam activam complectatur, præcipua ejus munia, ut do-

docere, conciones agere, consilium dare, eos qui contradicunt, arguere, sine Bibliorum studio cum sanctitate conjuncto nequeunt expleri, ut fusè probavimus *qq.* 32. 58. 60. *hujus Synopsis*.

2. Quod Lopesius vitam sui ædificatoriam, & proximorum instituerit sanctitate conjuncta studio Bialiorum, satis ostensum in superioribus arbitramur.

QUÆSTIO LXXXIV.

An vitâ solitariâ studiosus Bibliorum juvetur?

1. INcipientem studio Bibliorum vacare, uti oportere Magistri Institutione, & discipulorum collatione, probavimus *qq.* 25. 26. & 27. *hujus Synops.* Studioso autem doctrina quadam prædito conferre plurimum solitudinem ad perfectiorem scientiam constat Oseæ 2. *Ducam eum in solitudinem & loquar ad cor ejus*; & colligitur ex S. Augustino *lib. de Oper. Monach. cap.* 4. dicente. *Illos sanctiores esse, qui à conspectu hominum separati nulli ad se præbent accessum, viventes in magna intentione orationum.* Quippe cum sanctitas, & quæ Sanctitati confert oratio, viam muniant ad perfectiorem Bibliorum intelligentiam, ut explicatum est *qq.* 75. & 80. facile deducitur, solitariam vitam, ad quam pertinet à conspectu hominum separari, & impensius orare; sive, in corporis & cordis solitudine permanere, ad hoc studium maximè conferre.

2. Neque inde putandum, quod vita solitarii ponatur in abscondito, & sub modio lateat: *nam illi qui solitariam vitam agunt, multum utiles sunt generi humano*, ut docet Augustinus *lib. de mor. Eccl.* & ex D. Augustino *lib.* 19. *de Civ. Dei cap.* 19. docet S. Thomas his verbis: *Videtur nonnullis res humanas plusquam oportet reliquisse solitarios, non intelligentibus, quatum nobis eorum animus orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur.*

3. Usus est primùm Eremita Magistro Lopesius in deserto Navarræ per sex annos, ut sanctitatis & doctrinæ jaceret fundamenta, ad solitariam deinde vitam specialiter vocatum a Deo, dici vix potest quantum solitudo provexerit, & proximis utilitatem attulerit. Satis, ut brevitati consulam, ea sint quæ su-

ſupra retulimus. *Quæſt.* enim 26. & 33. *hujus Synopſ.* de Humilitatis, quæ virtutum cæterarum fundamentum eſt, profectu, hæc habentur. *Poſtquam exivi in ſolitudinem, omnes ut meliores me, & ſapientiores exſtimavi; & ita nulli niſi à me petenti conſilium dedi, nec me aliorum Magiſtrum feci.* De magno paupertatis profectu dictum eſt *q.* 53. *hujus Synopſis. A die egreſſus ſui in deſertum, quo ſe obtulit in votum Deo, nunquam rem aliquam poſſediſſe cum proprietate.* De Patientiæ & Mortificationis profectu videre eſt *qq.* 52. 55. *hujus Synopſ.* In cæteris etiam Virtutibus per ſolitariam vitæ rationem mirificè Lopeſium profeciſſe ſuperius dicta demonſtrant.

4. De ſapientiæ verò ac doctrinæ incremento probavimus *qq.* 13. & 40. *hujus Synopſ.* Quod *duabus aut tribus horis ad ſummum dormiebat in nocte... Expectabat primæ lucis adventum, apertiſque Bibliis, lectioni vacabat &c.* Et *q.* 15. *hujus Synopſ.* Oſtendimus: quod *cum ſemper in legendo, & relegendo Biblia fuiſset occupatus... Conceſſit illi Dominus &c. habereque prompta memoria omnia quæcumque in Bibliis contenta, & in quo libro & capite tàm veteris, quam novi teſtamenti.*

QUÆSTIO LXXXV.

An ſtudioſus Bibliorum patientiâ juvetur?

1. A Patientia Philoſophiam oriri Gentiles dixerunt, teſte Baſilio *hom.* 11. *de pœnit.* A Patientiâ igitur ſtudioſum Bibliorum adjuvari oportet, eo vel maximè, quod Biblia locis pluribus difficillimis, involutiſque abundent ſenſibus. Opus eſt ergò virtute patientia, quæ animum firmat ne oppreſſus triſtitia, & arduo labore retardetur: patientia namque ut docet Auguſtinus *lib.* 83. *qq.* 31. *eſt perpeſſio rerum arduarum ac difficilium honeſtatis aut utilitatis cauſa.*

2. Arduum Bibliorum ſtudium aggreſſus Lopeſius *in omnibus ſeſe exhibuit in multa patientia.* Cum enim heroica fortitudine ſubſtinuiſſe permulta, firmatum ſit *qu.* 73. patientia etiam, quæ illius veluti comes, & adminiſtra eſt, eluxiſſe in ægritudinibus, doloribus, ipſa morte teſtatur Socius *fol.* 38. *proceſs. Licèt enim a planta pedis uſque ad verticem capitis afſligi reſponderit Servus Dei Socio interroganti, quid ſibi doleret,*

leret, ita ut non esset in eo aliquid quod intense non doleret, nihilominus tanta patientia substinuit, ut sibi a proximis indulgeri, ne ipsos gravaret, omninò recusaverit. Et Illustrissimus Episcopus Guatimalensis Fr. Joannes Zapata *die* 11. *Maji an.* 1621. testatur. *In æqualitate animi, in agendo, & patiendo talem fuisse, ut nec prosperis nec adversis mutaretur.*

QUÆSTIO LXXXVI.

An Virtutes hucusque commemoratas habere debeat Studiosus in gradu heroico ut magis proficiat?

1. UT gravior in unoquoque munere obeundo adest difficultas, major in eo, qui munus exercet, virtus exigitur. Cum ergò studiosus Bibliorum difficiliori ceteris omnibus muneri applicetur: præditus esse, aut saltem niti totis viribus debet ad obtinendas in gradu heroico virtutes, ut magis proficiat. Ideoque huc potissimum referenda D. Joannis sententia est *Apoc.* 22. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur adhuc.*

2. Virtutibus in gradu heroico eluxisse Gregorium, singillatim ostendimus. Generatim vero deponit Illustrissimus D. Fr. Joannes Zapata Sandoval *fol.* 106. *proc. In omnibus virtutibus heroicum Servum Dei exstitisse*: & Socius *fol.* 7. & 8. *proc.* affirmat: *Virtutes ejus excellentes, mirabiles, heroicæ rapiebant homines quoscumque illum agnoscentes: itaut de abstinentia ejus heroica, de paupertate heroica, & aliis virtutibus ejus mirarentur.* Accedit P. Fr. Joannes a S. Jacobo, qui *fol. proc.* 123. apud Auctorem *hujus Operis quæst.* III. hæc testatur. *In puritate munditiæ, & castitate animæ, & corporis fuit heroicus, & eminens, sicut in aliis virtutibus.*

QUÆSTIO LXXXVII.

An studiosus Bibliorum majori fiducia se committere debeat divinæ Providentiæ?

1. CUm ex Scripturis studiosus intelligat: *unum esse necessarium*, scilicet æternam salutem, quæ nec dari potest

ab

ab hominibus, nec auferri: nihili verò caducas res, ac temporales esse faciendas; sequitur, ut de his fere nihil cogitet, proindeque *bonum existimet ponere in Domino Deo spem suam.* Et si aliqua naturæ præsidia habeat, iis utitur tamquam instrumentis Providentiæ divinæ, laborem quidem exercendo, sollicitudinem tollendo. Unde S. Augustinus *lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 6.*, loquens de libris Sanctis, ait: *quos nobis erudiendis, & ab hoc sæculo pravo in beatum sæculum transferendis Deus commisit.*

2. Totum sese omniaque sua, & proximi commendasse Divinæ Providentiæ Lopesium, constat tum ex pluribus depositionibus ejus Socii *fol. 7. 8. 27. proces.* *Quod ut verus Divinæ Providentiæ, & voluntatis filius inimicus erat carandi, & disponendi res temporales, quæ illum attinebant, nec ferebat ut alii pro eo disponerent, aut curarent*: Tum etiam ex fide D. Petri de Hortigiosa *fol. 52. proces.* *Quod nec distrahebatur à recollectione sua ex aliquo, quod ei eveniret, aut cum eo ageretur, sed semper eadem erat æquanimitate... & hinc nascebatur ei vivere sine cura, sine sollicitudine negotiorum, & contractuum hominum, dimittendo se gubernationi divinæ Providentiæ, quasi è loco superiori respiciens res terrestres.* Tum denique ex fide Petri Sarmiento de Valle *fol. 99. proces.* *Narratum sibi fuisse*, inquit, *a fratre Stephano de Herrera fratre majori Hospitalis Guastepec, se certa die valde afflictum fuisse, quia ovis & avibus pro pauperibus omnino indigebat. Quod cum dixisset Servo Dei Gregorio Lopez, respondit. Noli affligi; Dominus enim providebit. Et statim ad d. Hospitale accesserunt homines ex multis oppidis, alii ova, alii aves, alii panem afferentes; cum tamen a nullo fuissent vocati, aut de extrema indigentia admoniti.*

QUÆSTIO LXXXVIII.

An devotione erga B. Virginem studiosus Bibliorum proficiat?

1. TRibus præcipue modis studiosus proficere in Bibliis potest: *Verbo* nimirum, ut instruatur; *Exemplo*, ut dirigatur; *Auxilio*, ut viribus mentis donetur, impedimentisque solvatur. Tria autem hæc obtineri possunt, imo obtenta à nonnullis

nullis ſunt cultu ac devotione in B. V. Nam Gregorium Taumaturgum, Rupertum, alioſque verbo B. Virginis edoctos narrat hiſtoria. Omnibus exemplo B. Virginem præluxiſſe, Hieronymus, Sophronius, Ambroſius aliique tradunt. Auxilio uſi ſunt Rupertus abbas, & B. Albertus Magnus. Qui ergò piè eam colunt, procul dubio Bibliorum ſcientiâ proficient; cum maximam a Filio ſuo habeat poteſtatem, ut noſtris rebus opem ferat. Unde S. Bernardus *hom.* 2. ſuper *Miſſus eſt*: *Ipſa* inquit, *tenente, non corruis, ipſa duce, non fatigaris, ipſa propitia, pervenis.*

2. Magiſtram, adjutricemque non modo ſtudiorum, ſed vitæ rationis elegit Deiparam Lopeſius: tantoque eam ſtudio & affectu proſequebatur, precibus ſeſe commendabat, lacrymis exorabat; *ut, iter ſibi intentum perficere a pia Matre cum poſceret, in ſpeciali revelatione juſſus ſit, ut novam Hiſpaniam pergeret... & ex hac ſtudioſitate devota oriebatur, quod de ea, ejus virtutibus, prærogativis, & de ejus extraordinaria ad Deum unione, excellenter, ſuaviter, & pie loqueretur*, ut teſtatur Socius *fol.* 5. & 32. *proceſs.* Illud etiam non leve in B. Virginem devotionis argumentum colligitur *ex proc. fol.* 17. apud Auctor. *hujus Operis q.* 98. Quod, *cum hic teſtis jam Oppido de S. Fide in ſocietete Servi Dei commoraretur... & per ſpatium aliquorum annorum fere ſemper in oratione mentali continua ambularet, intuens ſe orationi mentali proficientem, a Servo Dei interrogavit. An ut ſe orationi mentali magis exhibeat, bonum ſit Roſarii recitationem omittere? Servus Dei reſpondit: non relinquat. Sciens, quod devotio Dominæ noſtræ (cui Servus Dei erat valde devotus) non ſolùm adjuvaret incipientes, ſed etiam... qui ad perfectionem acceſſerant, ut melius in ea perſiſtere valerent... Decrevit tamen hic teſtis inconſulto Servo Dei Roſarii recitationem omittere, & intrà paucos dies cæpit multis laboribus, & ſiccitatibus vexari, ita ut fere jam orationem non haberet. Servo Dei retulit dictas ſpirituales afflictiones, non tamen earum cauſam aperuit. Cui Servus Dei reſpondit. Ad Roſarii revertere recitationem. Quod cum feciſſet, intrà breve tempus, & ſpiritum, & devotionem, & quæ antea habuerat bona conſecutus eſt.*

QUÆ-

QUÆSTIO LXXXIX.

An Devotione erga D. Petrum Studioſus Bibliorum proficiat?

1. S. Petrus a Domino eſt conſtitutus primus Orbis Præceptor & Caput, ut S. Dionyſius, S. Hieronymus, S. Joannes Chryſoſtomus, S. Leo, aliique tradunt: Adagium verò eſt: *A Capite omnis bona valetudo*: Oportet ergò commendari ei nos, ut partem conſequamur ſummæ, qua ipſe præſtat, divinorum intelligentiæ. Nam Petro dictum legimus *cap. 5. Lucæ*: *Duc in altum*: hoc eſt *in profundum diſputationum*, ut explicat D. Ambroſius. Hinc tamen non impediri volumus ſtudioſum ab alio peculiari Patrono ſeligendo, ut piè D. Paulum elegit Angelicus, alii D. Joannem Evangeliſtam, cui etiam *tradita ſunt ſecreta Cæleſtia*; ſed ideo contendimus, ut ſicut omnes ſenſus colliguntur in capite ad utilitatem corporis, ita congregari in Petro totius Orbis Capite viſa ſint omnia: Dogmatum ſcilicet definitiones, myſteriorum explicationes, præceptorum diſciplinam: proindeque nobis princeps ad ſuſcipiendam & ingrediendam ſtudii Bibliorum rationem fuerit divinitus conceſſus.

2. Venerabilis Gregorius *vehementer gaviſus fuit Oleo Sancto ungi ad luctam cum morte in die dicato valde ſibi devotis SS. Petro & Paulo, quos ſemper coluerat*: ut teſtatur Socius *fol. 40. proc.* Et ſanè, quantam exhibuiſſe Gregorium devotionis obſervantiam D. Petro Eccleſiæ Principi arbitramur, qui ejus Succeſſores tanto proſequutus obſequio eſt, ut præterquam interdicto Bibliorum in vernaculas linguas ſtatim acquieverit atque obtemperaverit (*vid. q. 49. hujus Syn.*) Extat depoſitio eximii Doctoris Petri de Hortigioſa relat. ab Auct. *hujus Oper. q. 37.* qui *cum dixiſſet ei, in libro Apocalypſis a ſe compoſito quandam eſſe opinionem, quam legentes advertebant, & bonum eſſet eam tollere: Reſpondit, ſe non eſſe perſonam de diſputationibus, & quæſtionibus agentem: quod liber Romam mitteretur; & ſi decretum fuiſſet, ut illud auferretur, id valde bona hora fieret.*

QUÆSTIO XC.

An ſtudioſitas Bibliorum efficiat Hominem Sanctitate, & ipſorum ſcientia præſtantiorem?

1. STudioſitas importat vehementem conatum ex parte mentis ad cognoſcendum, & excluſionem ſegnitiæ, & ſocordiæ ex parte corporis ad laborandum, prudenter tamen ac moderatè. Sicut verò qui diſciplinis naturalibus vehementer incumbit & ignaviam pellit, moderatione adhibita, naturalium cognitione magis proficit, ita ſtudio vacans Bibliorum, quibus non ſolùm intellectu cognoſcibilia, ſed etiam piè, & ſanctè peragenda continentur, in Scientia & Sanctitate proficiet.

2. Quantum ſtudioſitate Bibliorum claruerit Lopeſius, colligere eſt ex profectu Sanctitatis, & eorumdem Bibliorum ſcientia, de quibus actum ſatis in ſuperioribus fuit.

QUÆSTIO XCI.

An ſtudioſus Bibliorum Meditatione proficiat?

1. QUamquam præſens difficultas facile ſolvi iiſdem momentis poſſet, quæ ſuperius adduximus *qq.* 40. & 84. *huj. Syn.* adhuc juvat S. Thomam hoc loco proferre, qui Meditationem a Cogitatione diſcernit 2. 2. *q.* 180. *art.* 3. *Cogitatio*, inquiens, *eſt animi reſpectus ad evagationem pronus, Meditatio autem eſt intuitus animi in veritatis inquiſitione occupatus*. Certum eſt autem, quod cauſa ſtudiorum progreſsûs una eſt ab evagatione expers, objectoque intentus animus. Meditatione itaque proficit ſtudioſus Bibliorum.

2. *Omnia Lopeſio venerunt* (ut Socius teſtatur *fol.* 15. *proc.*) *ex divina lectione attentè meditata, tamquam a fonte veritatis*. Et P. Joannes à S. Jacobo relat. ab Auct. *hujus Operis q.* 41. Lopeſium vocat *Virum altiſſimæ Contemplationis*. Denique P. Petrus Sarmiento deponit *fol.* 95. *proc.* ut videre eſt apud Auctor. *hujus Operis q.* 84. quod cum in Hoſpitali Guaſtepec *nomen & exercitium tanti Viri quæſiviſſet; ſcivit Gregorium Lopez nominari... eſſe magnum Servum Dei, & exercitium ſuum eſſe continuo vacare contemplationi*.

QUÆ-

Quæstio XCII.

An studiosus vitam activam conjungens Sanctitati, & studio Bibliorum plus utilitatis afferat; seu vitam instituat excellenter ædificatoriam?

1. Vitam activam ducere juxtà D. Gregorium *hom.* 14. *in Ezechiel.* est panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere: Sed qui, conjungens sanctitatem studio Bibliorum, hæc facit, vitam instituit excellenter ædificatoriam, quia versatur in opere charitatis spiritualis. Igitur studiosus ejusmodi vitam instituit excellenter ædificatoriam.

2. Gregorius licèt solitariæ vitæ rationem elegerit: activam non recusavit vitam agere; quatenus nulli ad se aditum intercluſit, ut doceret, illustraret, inflammaret, consolaretur, ad meliorem frugem traheret, exemplo, consilio, precibus, auxilioque, ut in superioribus probavimus.

Quæstio XCIII.

An studiosus vitam contemplativam Sanctitati, & studio Bibliorum conjungens vitam instituat excellentius ædificatoriam?

1. Marthæ, & Mariæ exemplo, alterius operibus actuosa devotio, alterius religiosa mentis intentio Dei verbo exprimitur, & excellenter ædificatoria utraque commendatur: sed hæc ipsis operibus antefertur juxta Domini sententiam: *Maria optimam partem elegit*. Hinc S. Augustinus *lib. de Verb. Domini serm.* 27. Ita concludit. *eligant sibi partem meliorem scilicet vitæ contemplativæ; vacent verbo; doctrinæ dulcedini occupentur circa scientiam salutarem*.

2. Elegit sanè meliorem partem Lopesius, quatenùs institutum amplexus est vitæ contemplativæ, proindeque excellentius ædificatoriæ, ut ex prædictis patet.

Quæ-

QUÆSTIO XCIV.

An studiosus activam, & contemplativam vitam conjungens Sanctitati, & studio Bibliorum, vitam instituat adhuc excellentius ædificatoriam?

1. CUm quælibet vitæ ratio sive activa, sive contemplativa sit ædificatoria, dummodo sanctitatem studio Bibliorum conjungat, ut modò probavimus: quantum utraque simul singulis præstet, maximè ex eo colligitur, quod simul in amore Dei, & proximi utilitate versetur. Quia verò arduum est in qualibet earum consummatum quempiam reperiri, ac penè impossibile, dixerim cum Joanne Abbate apud Cassianum *Coll.* 10. *cap.* 8. quia sæpè, qui contemplari Deum quietè poterant, occupationibus pressi ceciderunt, & sæpè, qui occupati benè usibus humanis viverent, gladio suæ quietis extincti sunt, juxta Gregorium *lib. 6. Moral. cap. 26.* idcircò speciali Dei gratia opus est, ut *studiosus ejusmodi* (verbis utar d. Joannis Abbatis) *ad plenum utramque perficiat*, sicut doctissimi Sanctissimique viri Timotheus, Ignatius, Dionysius, Athanasius, Nazianzenus, Basilius, Hieronymus, Ambrosius, & imprimis Augustinus, qui Episcopi, Doctoris, Concionatoris aliorumque munerum vitæ activæ sarcina impeditus non est, ut ad Deum celsiori volatu elevaretur per Confessionum libros, meditationum, soliloquiorum, suspiriorum.

2. Lopesius quodammodo vitæ mixtæ rationem iniit, si memoriâ sæpe dicta recolantur. Sed quamvis vitæ activæ primatum concesserit multis, longe tamen contemplativæ præstantia superavit: nam ipsemet licet humilissimus confessus est Fr. Joanni de S. Jacobo *Valde dubitare an fuisset unquam aliqua pura creatura* (*excepta virgine Sacratissima*) *quæ semper perseveraret in simili unionis altitudine*, ut refert Lossa *fol.* 32. *proces.* apud Auctor. *hujus Operis q.* 88. Id ipsum sese cognovisse testantur æqui Spirituum Judices P. Joseph de Vides, P. Petrus Sarmiento, P. Joannes de S. Jacobo, aliique in Superioribus quæstionibus adducti.

QUÆ-

Quæstio XCV.

An studiosus conjungens Sanctitatem studio Bibliorum ad vitam pervenire impollutam etiam a venialibus possit?

1. Sanctorum Augustini, & Thomæ, aliorumque Patrum sententia communis est: neminem posse ab omnibus venialibus per totam vitam, vel diu abstinere sive speciali gratiæ privilegio: *Quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*, ut inquit Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 23.* Homo enim in statu naturæ lapsæ motus singulos quidem reprimere potest, non autem omnes: quia dum uni resistit, fortassis alter insurgit, & ratio non semper potest esse pervigil ad prædictos motus vitandos. Studiosus tamen Bibliorum potest sine alia gratia superaddita vitare facilius plura peccata. Cum enim in oratione, & Sancto labore exerceatur, multos motus coercere valet, tentationes vincere, occasiones vitare. Quin imo disponitur ad obtinendam specialem gratiam, qua diu a venialibus abstineat, juxta illud *Eccl. 24. 30. Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt*; & ratio est, quod rectè utens communi gratia disponitur, aut saltem obicem non ponit gratiæ speciali.

2. Veremur hoc loco, ne Gregorii Sanctitatem efferentes, aliorum quodammodo videamur derogare virtuti: sed veremur etiam ne vero minus Gregorium commendantes, dexteræ Dei, quæ abbreviata non est, injuriam irrogemus. Quapropter aliorum sit judicium; nostræ erunt partes, monumenta, & rationes pro Lopesio proferre. Et sane quoties constat, prout constare arbitramur, quod Ven. Lopesius, ut in Eremum secessit constitus sit a Deo in puro, & nudo sui amoris actu usque ad obitum, *ita ut nec fregerit unquam, nec interruperit talem actum*, sed *semper auxerit*: non modo haud difficile videtur venialibus abstinuisse, sed quomodo abstinere non debuerit, satis percipi nequit. Si enim peccati cujusvis ratio ponitur in aversione a Deo, & conversione ad Creaturas: *cum nulla res creata eum impediret, aut tepefaceret, sed semper esset opus interius* (amandi Deum) *in suo culmine, quod conversum fuerat penè in naturam, & nunquam retrocesserat a perfectione, & unio-*

unione, quam illi Deus communicabat, sed semper antegradiebatur, ut testatus ipse est P. Fr. Joanni de S. Jacobo. Item, si quodvis peccatum a causa seu radice provenit concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum, & superbiæ vitæ: *Cum Servus Dei dixisset de mortificatione suorum sensuum, qui jam nullatenus impediebant eum ab intenso actu puri amoris Dei totis viribus*: ut idem P. Joannes testatur *fol. proces.* 128. Cum universas mundanas res, quæ sunt delectabiles secundum apprehensionem imaginationis, aut alicujus hujusmodi acceptationis, ut loquitur S. Thomas, ita contempserit, ut non affectum, ne cogitationem quidem eorum haberet, ut testatur P. D. Petrus Hortigiosa *fol. proces.* 52. relat. ab Auct. *hujus Operis q.* 53. Et Socius *fol.* 27. *proc.* apud Auct. eumdem *q.* 87. Cum omnem suæ excellentiæ appetitum ita cohibuerit, ut Dei excellentia assiduè præsens suam penitus absorberet, ut luculentissimis testimoniis P. Josephi de Vides, & P. Joannis de S. Jacobo probat Auct. *hujus Operis q.* 104. Denique cum ipsas peccandi tentationes exsufflaret, ut probat Auct. *hujus Operis q.* 97. quis sibi in animum inducere poterit, hisce firmitèr stabilitis, Lopesium in aliquod incidisse peccatum veniale? Et sane Franciscus Lossa, *qui eum attente in omnibus actionibus observabat, nullum judicavit opus aut verbum ejus, ut peccatum veniale* (vide Auct. *hujus Operis q.* 70.) Rev. etiam P. Alphonsus Sanchez, & quidam Presbyter (de quibus supra *q.* 70. *hujus Synopsis*) aliique bene multi partem animo malo, partim zelo, partim imitandi studio scrutati sunt ejus vitam tamquam in lucernis; atque in nullo deficientem, sed in omnibus perfectissimum judicarunt.

3. His accedit ejusdem Lopesii fides. (Justorum namque Confessionem valere putat S. Bernardus.) *Cum* enim *extrema unctione ungebatur, accedente tempore absolutionis faciendæ in virtute Bullæ Cruciatæ dixit ei* (Socius & simul Confessor Lossa) *ut alicujus peccati aliorum retro annorum recordaretur, ut ei Indulgentiæ Sedis Apostolicæ applicarentur*. Respondit Servus Domini: *Ex misericordia ipsius non sentire quidquam in quo conscientia remorderet*. Malitiane, aut ignorantia hæc dixisse putabimus? Illius quidem suspicio cadere in Sanctum Virum nullo modo potest. At ne istius quidem, nam ut testatur Socius idem & Confessor Lossa *fol.* 14. *proces.* relat. ab Auct. *hujus Operis q.* 82.

q. 82. *Plenam habebat proprii subjecti cognitionem, oculisque intellectualibus spiritum suum videbat, sicut corpus suum oculis corporalibus; nam duos fontes corporis, & spiritus discernebat, & dividebat tanta cum distinctione, ita detinendo cursum corporis, & dilatando cursum spiritus, ut esset plusquam mirabilis.*

4. Sed quomodo (inquiet aliquis) dicit Spiritus Sanctus: *Septies in die cadit Justus?* Audi responsionem mirabilem ipsius Gregorii Socio datam, quasi Apologiam pro se ipso conscripserit: *Non potest*, inquit, *intelligi testimonium, ut littera sonat exterius. Nam experientia videmus plures viros spirituales, qui per integram diem in orando, & amando Deum perseverant; & alios duobus, aut tribus diebus, & pluribus, ut legimus de multis Sanctis. Sed in dicto testimonio dici a Spiritu Sancto posse cadere Justum septies in peccata venialia, absque eo quod desinat esse justus, ut potuerunt cadere Apostoli etiam post adventum Spiritus Sancti. Sed certè non dicit justum cadere realiter septies; sed ut declaratum est.*

QUÆSTIO XCVI.

An viro ceteroquin digno liceat Episcopatum desiderare ea ratione, ut studium Bibliorum promoveat?

1. Sancti Patres, præsertim Theodoretus, Haymo, Augustinus, Ambrosius, Thomas, & celebriores Theologi docent, licere etiam extra casum necessitatis viro digno Episcopatum desiderare ob majorem proximi utilitatem, *quia tunc Episcopatum desiderans, vere bonum opus desiderat*. Licebit itaque viro cæteroquin digno Episcopatum deliderare primario Bibliorum studii promovendi intuitu, cum ex eo utilitas proximorum summa oriatur, ut in superioribus probavimus: & uberius confirmatur exemplo Gregorii Magni, qui, ut hoc studium excoleretur, Episcopo Jovino mitti sibi studiosos Bibliorum exoranti dolens Sanctus Pontifex, quod huic Sacro studio pauci applicarentur, *se illi collegam futurum promittit, si ad limina S. Petri venire voluerit*. Quod argumento est summæ Bibliorum utilitatis. Nam Jovinum proprias oves deserere aliquantisper, & seipsum ab Universalis Ecclesiæ negociis paululum abstrahere satius duxit, quàm caritati Interpretum Bibliorum non occurrere.

2. Lopesius ob singularem Bibliorum peritiam Episcopatu dignissimus erat, desiderio tamen abstinuit; licet ab eo fine propter quem licitè exoptatur, minimè recesserit, nempe proximorum institutione; adeo ut, quod in Episcopatu operis est ac laboris aggressus, ab eo autem, quod dignitatis & commodi, longissimè abhorrens, supremum visus est perfectionis gradum attigisse.

QUÆSTIO XCVII.

An Studiosus Bibliorum recusare Episcopatum licitè possit?

1. HAud urgente Ecclesiæ necessitate, & præcepto Superioris licitè posse studiosum hujusmodi recusare Episcopatum colligitur ex doctrina D. Thomæ 2. 2. *q.* 185. *art.* 2. Ubi etiam vota eorum probat, non admissuros Episcopatum, nisi necessitate aut præcepto compellantur. 1. propter magnum animæ periculum. Inquit enim Joannes Gerson *tom.* 2. *de Eccl. caut. Quem honorem homo etiam electus a Deo non tuto, neque sine multo cadendi periculo suscipit. Testimonio sunt Judas, & Saul, & plurimi.* 2. propter impedimentum studiorum; Si enim Goaris Præsbyter à Deo incurabilem morbum impetravit, cum à Sigiberto Rege ad Trevirensem Episcopatum vocaretur, ut Surius in ejus vita testatur: Si Sanctus Ephrem Syrus, sciens se ad Episcopatum electum, tandiu furorem simulavit, donec alius subrogaretur, ut narrat Sozomenus *lib.* 3. *Hist. Ecclesiast. cap.* 15. Si D. Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius Magnus, aliique quandiu potuerunt, aliis præesse recusarunt, tum propter alia, tum etiam ut studio Bibliorum liberiùs vacarent: planè consequitur, licitum esse Studioso Bibliorum Episcopatum recusare, ut majorem adipiscatur eorum intelligentiam, indeque majorem proximis afferant ntilitatem.

2. Præcipi autem neminem posse ab universalis populi suffragiis, neque à Præposito suo Monachum putat Auctor hujus Operis, sed à solo Pontifice. Imo is cui tale onus à Pontifice imponitur, si morali probabilitate cognoscat ob regiminis difficultatem, & impares vires sufficere nequaquam posse, præcepto non tenetur, sed supplicationem recusationis ad Pontificem

ficem mittat; quia nequit ex quacumque causa sese peccandi periculo quis exponere: & hoc casu non debet Pontifex ad acceptandum obligare, ut *cap. si quando de rescriptis* legitur: *Aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut quare adimplere non possis rationabilem causam prætendas, quia patienter substinebimus si non feceris.*

3. Elegit Dominus Lopesium, ut magis magisque æternæ salutis, studiique Bibliorum profectui consuleret, ideoque ad Episcopalem, aliamve dignitatem vocari passus non fuit; quamquam in ipso omnes, quæ Episcopales sunt virtutes, nempe doctrina, prudentia, sanctitas, humilitas, mansuetudo, comitas, diligentia, fortitudo, patientia invenirentur. O *altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

QUÆSTIO XCVIII.

An qui Sanctitatem studio Bibliorum conjungit, ad gratiam Discretionis Spirituum possit pervenire?

1. Discretio Spirituum propriè significat quamdam vim ad intuendas cordium cogitationes: minus propria significatione intelligitur facultas discernendi motus à bono, vel malo spiritu excitatos. Utraque acceptione hæc discretio spirituum quamquam gratia sit gratis data, ideoque non ex meritis data, studiosus tamen Bibliorum sanctitatem conjungens rectè disponitur ad eam obtinendam ex misericordia Dei; ut sua, ita aliorum secreta cordium amico manifestantis, & Diaboli insidias detegentis ad vitam proximi ædificatoriam, fidemque confirmandam. Ut Apostolis, Vincentio Ferrerio, aliisque Sanctis scimus collatam, conferrique in dies videmus, cum opus fuerit; præsertim Concionatoribus, Doctoribus, animarumque Rectoribus.

2. Primo genere discretionis Spirituum claruisse Gregorium testis est Episcopus Guaxaquensis relat. ab Auct. *hujus Operis q.* 20. qui affirmat *Gregorium habitum fuisse virum prophetam*; probatque testimonio P. Fr. Gabrielis de la Rioja Franciscani & P. Didaci de Aragon Dominicani; ipsoque etiam eventu. Nam cognitam à Lopesio intentionem P. Antonii de Avila te-

teſtatur audiviſſe ab eodem P. Antonio (*Vid. q. 25. hujus Synopſ.*) Teſtis eſt etiam Illuſtriſſimus Epiſcopus Guatimalenſis Joannes Zapata relat. ab Auct. *hujus Operis q.* 80., qui poſt egregiam Lopeſii Sanctitatis, & doctrinæ laudem, *Multoties à viro Dei ſuas introſpici cogitationes* fatetur: *ita ut non ſolùm dictis, ſed illis, quæ intus ſentiebat, & intendebat aperire, reſponſione præveniretur*. Teſtis eſt inſuper P. Joſeph de Vides relat. ab Auct. *hujus Operis q.* 47. qui *fol. proc.* 46. deponit, *Vidiſſe illum... quibuſque interrogationibus breviter reſpondere quæſitum; & aliquando antequam interrogaretur, ut qui ſecreta cordium, ut omnes affirmabant, & ipſe expertus eſt, introſpiceret*. Denique teſtis eſt Gaſpar de Prabes relat. ab Auct. *hujus Operis q.* 59. qui *fol.* 116. *proc.* juramento affirmat: *Ut publicum a viris ſapientibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus affirmari, quod interiora cordis dignoſceret, & expertus ipſe multoties, quod difficultatibus mente retentis, nec verbo aliquo indicatis ille reſpondebat. Quando in ſe aliquem defectum, agnoſcebat, uſque dum Confeſſione & celebratione Miſſæ purificabat, Virum Dei non audebat videre, timens ne conſcientiam ejus intueretur*.

3. Alterum genus diſcretionis Spirituum, ſeu facultas diſcernendi motus à bono, malove ſpiritu excitatos non minus in Lopeſio enituit. Atque imprimis memoria recolatur exemplum Franciſci Loſſæ expoſitum *q.* 88. *hujus Synopſ.* Quod roboratur ex iis, quæ habentur apud Auct. *hujus Operis q.* 54. *Aliquibus enim, qui ſe ut ſpirituales æſtimabant, adhuc tamen mordebant, dicebat Servus Dei: Non exiſtimo ſpiritualem nec ut virtuoſum, qui alterum judicat, aut detrahit frequentius*.

QUÆSTIO XCIX.

An qui Sanctitatem ſtudio Bibliorum conjungit, aſſequi valeat futurorum cognitionem?

1. QUibus ſuperior concluſio firmata eſt argumentis, eiſdem & præſens firmari poteſt. Maxime, cum ſtudioſus Bibliorum vacet lectioni Prophetarum, & illos conetur aperire, quodammodo fiat Propheta, ut docet Hieronymus

ſuper

ſuper illud 1. *Corinth.* 12. *Quoſdam quidem poſuit Prophetas* his verbis. *Prophetæ ſunt qui explanant obſcura Prophetarum, & qui homines exhortantur.* Et quamvis aliquando Deus prophetiæ donum contulerit ob aliquam virtutem, ut Danieli & Sybillis ob virginitatem, Amos vero, aliiſque rudibus, & Paſtoribus ob innocentiam vitæ; imo & impiis hominibus, ut Caiphæ, & Balaam: Attamen ſtudioſus Bibliorum ſanctitatem conjungens, cenſetur aptius inſtrumentum, quo utatur Deus ad res futuras manifeſtandas, quia futura vult Deus revelari ad vitam hominum ædificatoriam, cui maxime confert Sanctitas ſtudio Bibliorum conjuncta, ut dictum eſt *qq.* 92. 93. & 94. *hujus Synopſ.*

2. Intelligens Gregorius eſſe *Beatos mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt; in lumine autem Dei lumen videri*, Sanctitate, & Bibliorum ſtudio mundavit cor adeò, ut Deo uniretur, & per unionem particeps fieret prophetici Spiritus. Cumque Prophetia omnis vel reſpectu præteritorum, quæ naturaliter ſciri non poſſunt, vel reſpectu præſentium occultorum, vel denique reſpectu contingentium futurorum conſiderari poſſit: Lopeſius per talem unionem cognovit omnia præterita à creatione mundi ad ſua uſque tempora, ut probatum eſt *q.* 44. *hujus Syn.* Et fuſius *qq.* 21. 90. apud Auct. *Operis*. Vidit occulta præſentia, ut oſtendimus *q. præced. hujus Synopſ.* Denique præcognovit contingentia futura, ut demonſtravimus *q.* 61. *hujus Synopſ.* Nam cum rogaſſet *Gregorium quidam ægrotus, quem Chirurgus in capite ſecare decreverat; Gregorius uno verbo reſpondit: Fiduciam habe in Domino qui te* SANABIT. Et quidem ſanatus eſt. Inſuper *q.* 87. *hujus Synopſ.* firmavimus. Quod cum Frater Hoſpitalis Guaſtepec afflictus eſſet, *quia ovis, & avibus pro pauperibus omnino indigebat, dixit Servo Dei Gregorio. Qui reſpondit: noli affligi. Dominus enim* PROVIDEBIT. *Et ſtatim ad d. Hoſpitale acceſſerunt homines ex multis oppidis alii oves, alii aves, alii panem afferentes &c.*

QUÆ-

QUÆSTIO C.

An conjungens Sanctitatem studio Bibliorum assequi possit Interpretationem sermonum?

1. INterpretationis sermonum dono aptiorem reddi, magisque dispositum Bibliorum studiosum eodem argumento demonstrari potest, quo infra firmabitur quæstio CII.

2. De Lopesii præstantia quoad Sermonum interpretationem recolantur dicta *qq.* 4. 34. 36. 37. 47. *& alibi pluries in hac Synops.*

QUÆSTIO CI.

An conjungens Sanctitatem studio Bibliorum assequi valeat miraculorum gratiam?

1. GRatia Sanitatum, & Operatio virtutum pertinent ad miraculorum donum. Necessaria hæc sunt in Ecclesia ad confirmationem sacræ doctrinæ præsertim in Evangelio traditæ. Quemadmodum ergo studiosus ejusmodi magis idoneus est ad Evangelii doctrinam confirmandam, ita magis dispositus ad ea dona recipienda, quæ plurimum conferunt ad ejusdem doctrinæ confirmationem. Maximè quia clarior in eo fides est, per quam miracula fiunt *Hebræor.* 11. 13. *Sancti per fidem vicerunt Regna... obturaverunt ora Leonum; extinxerunt impetum ignis; effugerunt aciem gladii; convaluerunt de infirmitate.*

2. Gratiâ Sanitatum, quæ tum animi, tum corporis morbos respicit, effulsisse Lopesium constat ex dictis *q.* 61. *hujus Synops.* Item operatione virtutum claruisse testatur P. Fr. Joannes de S. Jacobo *fol.* 129. *proces.* ut refert Auctor *hujus Operis in hac quæst. & seq.*

3. Illud vero mihi videtur esse maximum operationis virtutum documentum, quod mansuetos reddiderit Chichimecas sævissimos: ut, qui alios immanissimè trucidarent, Lopesio opem ferrent; qui humanis carnibus vescerentur, cibos Lopesio pararent, qui ædificatas ab aliis domos destruerent, Lopesium, dum tugurium construebat, adjuvarent, (*q.* 50. *hujus Synopsis.*)

Illud

Illud etiam virtutis operatio habenda est: quod plurimos *Converterit*, *Arguerit*, *Correxerit*, *Docuerit*, *Sanaverit*, *Consolatus sit*, *Lætificarit*, *Illuminarit*, *Inflammarit* (*q.* 57. *& seqq. hujus Synopf.*) Quod ad eum cujuslibet ſtatus hominum multitudo convenerit, ut reſponſa Sapientiæ, & vitæ documenta perciperet (*qq.* 45. 60. 71. 76. *hujus Synopf.*) Quod ei doctiores etiam & prudentiores acquieverint (*qq.* 26. 33. 45. *hujus Synopf.*) Quod iidem nihil ſe ſcire tum in literis, tum in via ſpiritus e conſpectu Lopeſii confeſſi ſint (*qq.* 4. 35. 47. *hujus Synopf.*) Quod denique nonnulli ad eum, licet pauperrimum, ſacco indutum, tugurio latentem, ſine præſidio, ſine victu, ſine opibus, non tamen auſi fuerint accedere, ob metum, & reverentiam, ut probatum eſt *q.* 59. *hujus Synopf.*

QUÆSTIO CII.

An conjungens ſanctitatem ſtudio Bibliorum omnes gratias gratis datas a Domino conſequi poſſit?

1. EX Bibliorum ſtudio ſanctitati conjuncto aptiorem reddi ſtudioſum, ut a Deo non modo aliquam, ſed omnes gratias gratis datas obtineat, colligitur ex Divo Bonaventura loco ſæpe laudato: quia nimirum hoc ſtudium Sanctitati conjunctum ordinatur ad vitam ædificatoriam, omnes autem gratiæ gratis datæ, quas enumerat Apoſtolus 1. *Corinth.* 12. 8. ad ſalutem, atque utilitatem, ſeu vitam ædificatoriam pertinent. Diſponitur ergo hujuſmodi ſtudioſus ad omnes gratias conſequendas: itaut aliquando intelliget cum Salomone *Sapient.* 7. 11. *Veniſſe ſibi omnia bona pariter cum illa*, quamvis ea bona nullo juſtitiæ debito ſibi vindicet.

2. Gratiam ſanctificantem eſſe aliarum omnium radicem, & fontem, opinio Doctorum communis eſt. Sanctificantis autem gratiæ dono propè ſingulari claruiſſe Lopeſium oſtendimus *qq.* 63. 66. *aliiſque hujus ſyn.* hinc facilè eruitur, ne longior ſim, omnibus fuiſſe gratiis gratis datis prædituin, cum præſertim de excellentioribus hoc probaverim *qq.* 93. *& ſeqq. hujus Synopf.*

QUÆ-

QUÆSTIO CIII.

An conjungens Sanctitatem ſtudio Bibliorum ad talem poſſit eorum intelligentiam pervenire, ut omnem ſenſum tam ſpiritualem, quam literalem aſſequatur?

1. QUamquam, ut ſanctitate, & ſtudio Bibliorum aliquis proficit, ita eorum intelligentia proficiat, ſemper tamen plura ſuperſunt intelligenda, quæ nonniſi in Patria per gloriæ lumen aſſequatur. *Tot* inquit Gregorius *in Ezech.*, *tamque abdita in Sanctis voluminibus cognoſci myſteria, ut quædam mortalibus nedum reſerata, ſolis cæleſtibus patere ſpiritibus.* Viatores quippe limitatam rerum divinarum cognitionem habemus, ideoque *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*: 1. *Corinth.* 13. *v.* 10.

2. Sanè Gregorius præſtantiſſimam Bibliorum peritiam eſt aſſecutus, ut in ſuperioribus probavimus; ingenuè tamen confeſſus eſt, plura nobis viatoribus obſcura, Beatis in Patria fore reſeranda: ut facto demonſtrat Auctor operis in hac quæſtione.

QUÆSTIO CIV.

An conjungens Sanctitatem vitæ contemplativæ ſtudio Bibliorum, conſequi in hac vita poſſit, ut Dei eſſentiam intuetur?

1. ORdinaria Dei potentia viventem neminem poſſe Dei eſſentiam perfectè contemplari, ſeu intuitiva ejus frui viſione, docent cum D. Thom. 2. 2. *q.* 180. *art.* 4. omnes ferè Theologi. Ea enim ad comprehenſorem, non viatorem pertinet: undè Moyſi dictum a Domino eſt. *Exod.* 33. 20. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet*: vivens quippe homo, ut intelligat, pendet a ſenſibus, & phantaſmatibus: ſenſus autem & phantaſmata nequeunt intellectui perfectam divinæ eſſentiæ imaginem referre.

ferre. Absoluta tamen Dei potentia intellectum hominis viventis elevari ad intuitivam Dei visionem posse Basilius, Ambrosius, Augustinus, Beda, Anselmus, Thomas, aliique probant tum Scripturis, tum ea potissimum ratione: *quod intellectus viventis adjuvari gloriæ transeuntis quodam lumine, possit, ut anima ejus corpori Mortali conjuncta ut forma, absque usu sensuum & imaginatione, (sicut accidit Paulo in raptu) pertingat ad visionem divinæ essentiæ*

2. Quid in hac re de Lopesio sentiendum, ex fide sumitur testium probatissimorum. Itaque P. Fr. Joannes de S. Jacobo, *fol.* 121. *proces.* apud Auct. *hujus Oper. q.* 40. deponit: *Visum esse sibi tam secundium quod in eo* (Gregorio) *vidit, quam ex iis quæ ei Servus Dei communicavit de suo spiritu, esse virum altissimæ contemplationis, animæ, intellectus, & mentis superioris omnibus mundi creaturis, licet inferior Beatis Spiritibus, sed eis assimilatus; nam ex pura & nuda unione, quam semper in nuda essentia animæ cum Deo habuit, ubi est mansio Dei, & quò non potest ulla accedere creatura, erat Servus Dei Gregorius superior omni creato & habebat statum medium inter eos qui sunt in Militanti, & Triumphanti Ecclesia.* Cohæret Illustrissimi D. Alphonsi de la Mota & Scobar depositio *fol.* 66. *proces.* relat. *q.* 66. *hujus Synops. Oculo intellectus vidisse Deum eo modo quo creatura potest illum videre in hac vita mortali..... per alias gratuitas repræsentationes quas solet Deus sibi valde dilectis communicare.* Idque confirmant P. Petrus Sarmiento *q.* 32. & Gaspar de Prabes *q.* 62. *hujus Synops.* qui Gregorium appellant *Virum Cœlestem.*

QUÆSTIO CV.

An studiosus Bibliorum benè, ac lætè moriatur?

1. MOrtis cogitatio, ejusque adventus solent maximum hominibus terrorem inferre, cum incertus quisque sit de suarum post vitam exitu rerum, ut dixisse fertur Aristoteles. *Nudus in hunc mundum veni, miser vixi, dubius morior, quo venturus sum nescio*: Studiosus tamen Bibliorum cum maximum accipiat ex hoc studio bene vivendi, & sanctitatis adjumentum; vitæque recta institutio sit bene moriendi

quædam inchoatio, patet quod Studioſus Bibliorum bene moriatur. Bene autem moriendi ſors lætitiam parit: quia eſt janua vitæ; unde Paulus *diſſolvi cupiebat, quia vivere Chriſtus erat & mori lucrum*: Sequitur ergò, quod Studioſus Bibliorum etiam læte moriatur. Præterea diſcit ſtudioſus ex Bibliis, Chriſtum nobis, ut bene moreremur impetraſſe, *Delens* morte ſua *quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud Cruci*, proindeque etiam mortis horrorem fugaſſe. Placet hoc exemplis pluribus confirmare, præſertim S. Meruli, de quo S. Gregorius *lib.* 4. *Dial. cap.* 47. *nec mora* inquit *morbo correptus abiit ad Dominum hilaris*: S. Dominici, de quo illius vitæ Scriptores referunt, quod *venienti Domino lætus obviam properavit*; S. Conradi Theutonici ejuſdem Patriarchæ Diſcipuli, de quo P. Ferdinandus Caſtillo 1. *p. hiſt. Ord. S. Dominici lib.* 2. *c.* 19. narrat, morientem adſtantibus Religioſis dixiſſe. *Scitote Fratres me mori fideliter, amanter, confidenter, hilariter. Fideliter quia morior in fide Jeſu Chriſti Domini mei, & Matris Eccleſiæ: amanter, quia à die quo indui hunc Sanctum habitum ſtudui me conformare ſemper in gratia Dei, eique in omnibus, quoad poteram, placere: confidenter quia ſcio, quod poſt mortem ibo ad domum Domini mei: hilariter quia iſtud punctum mortis, in quo me videtis tantum eſt tranſitus à planctu ad riſum, à labore ad quietem.*

2. Lopeſius, *quem Dominus deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum*, honeſtatus denique eſt in laboribus, & completi ſunt labores illius, morte Juſtorum pretioſa in conſpectu Domini: Nam interrogatus a Loſſa, qui ejus ultimæ infirmitati, ac morti interfuit: *Quomodo ſe haberet in magna hac ægritudine, & purgatorio, in actu illo ſuo continuo amoris Dei, uſque ad mortem reſpondit: valde bene.* Similia habet Petrus de Hortigioſa *fol. proceſs.* 54. relat. ab Auct. *hujus Operis q.* 76. Qui *adfuit in dicto Oppido* (de S. Fide) *circa tempus mortis Servi Dei, & vidit in eo quandam æqualitatem, & cum voluntate Domini noſtri conformitatem.... quæ bonæ vitæ ſuæ Sanctitatem oſtendebant.* De lætitia verò, qua Servus Dei advenientem mortem excepit, addit idem Franciſcus Loſſa, quod *cum conſolaretur cum, dicens a Deo ferri per viam Crucis, ut dile-*

dilectum suum Unigenitum tulerat; respondit: *Ego lætor facere in me suam voluntatem*. Consentit huic testi P. Petrus Sarmiento del Vado relat. ab Auct. *hujus Operis q.* 84. *Obiit* (Gregorius) *in manibus P. Francisci Lossa, & hujus testis magna pace, serenitate, & conformitate cum decreto voluntatis Dei*. Vide etiam *q.* 73. *hujus Synopsis*.

QUÆSTIO CVI.

An conjungens Sanctitatem studio Bibliorum etiam post mortem prosequatur vitam aliorum ædificatoriam?

1. NOn modò vivam vocem, vivumque Sanctitatis & doctrinæ exemplar, sed etiam Sanctitatis, doctrinæque memoriam, contemplationemque utilitati proximorum conferre plurimum, seu illos ædificare probatur experientia. Quippe dum legimus, audimusve præclara Sanctorum acta, excitatur animus ad intuendum; voluntas trahitur ad imitandum. Ipsi etiam defuncti, Sanctitate & doctrina illustres viri, sunt in cœlo sapientiores ad instruendum, potentiores ad auxiliandum, beatiores ad propitiandum, ut probatur testimonio, promissisque omnium studiosorum Magistri principis S. Petri 2. *Canonic.* 1. 15. *dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum.* Hoc est, ut explicant Patres, quomodo vivens studui, etiam mortuus curabo, ut vos moneam, instruam, dirigam, adjuvem: quia *nunc plenius & potentius omnes partes officiorum atque curarum in ipso & cum ipso, per quem est glorificatus, exequitur*, inquit S. Leo, *serm. de S. Petro. Ideoque Beatissimus Petrus, qui in propria Sede vivit ac residet, præstat quærentibus fidei veritatem* (tradit Petrus Ravennas *in Epist. ad Eutich.*) Ostendunt hoc etiam suo exemplo SS. Dionysius, & Severinus Boetius apud Baron. ad an. 526. alique plures martyres, qui abscisso pro Christi fide, quam viventes docebant, capite, per longum spatium, ut etiam mortui ab officio ædificandi non desisterent, manibus portarunt.

2. Ædificat etiam nunc Lopesius præclaris virtutibus, & doctrinâ proximum. Quis enim ad res terrenas contemnendas non moveatur ejus memoriâ, qui ex ditissimo pauperrimus fieri voluit ut Christum lucri faceret? Quis ad patientiam,

manſuetudinemque ejus recordatione non excitetur, qui detractores, infenſoſque homines patientiâ ſibi devinctos habuit, homicidas barbaroſque manſuetudine continuit? Quis ad amorem Dei, proximique, ad cæteras omnes virtutes ſcientiamque non inflammetur ejus cogitatione, ad quem undique conveniebant cujuſcumque ſtatus homines, ut Angelum puro, & continuo amoris æſtu flagrantem agnoſcerent: Ut Joannem Baptiſtam, Arſenium, Macarium intuerentur; Ut Hieronymum ſummum interpretem audirent; Magiſtrum conſulerent? Sed ipſemet ſaluti proximorum conferre ſuâ quam habet in Cælis auxiliandi copiâ, non prætermittit. Teſtatur enim P. Doctor Petrus de Hortigioſa *fol. 54. proceſs. quod cum nocte eſſet hic teſtis in cella dormiens vidit in ſomno figuram Servi Dei Gregorii, ſed cum pulchritudine & aſpectu læto: qua re datum eſt huic teſti intelligere quod jam Deo frueretur, & cum hoc percepit ſolatium extraordinarium. Et paulo poſt ſuſcitavit eum quoddam jubilum, quod impellebat eum, ut cum multo fervore laudes Deo exhiberet... & cum hoc duraſſet per aliquam moram omnino fuit experrectus, recognoſcans ſibi a Deo mercedem exhibitam, & quàm indignus eſſet illius beneficii, proponens deinceps ſe in Dei ſervitio ferventius victurum.* Apparuit etiam Gregorius matri Marinæ de Cruce, affatuſque eſt his verbis: *Soror ad Cælum propero, aſcenſio tua non erit tam citò, quia & Dei ſervitio, & hujus Conventus conſolationi neceſſaria es; Et ſtatim diſparuit relinquens animam ejus valdè ædificatam & divinæ voluntati omnino reſignatam*; Ut refert Petrus de la Mota ejuſdem Marinæ Confeſſarius relat. ab Auct. *hujus Operis q. 93.*

QUÆSTIO CVII.

An ſtudioſus intellectu perfectiore ob ſtudium Bibliorum præditus, meliùs in Patria eſſentiam Dei intueatur, quàm alii æquali lumine gloriæ adjuti?

1. SAnctus Thomas 1. *p. q.* 12. *a.* 6. *ad* 3 Bannez, aliique plures Theologi affirmant lumen gloriæ eſſe intellectui, creato totam, & unicam virtutem ad videndum Dei eſſentiam, proindeque inæqualitatem viſionis Beatificæ ab inæqualitate lumi-

luminis gloriæ, quo intellectus creatus ad videndum Deum elevatur, esse repetendam: quia hæc visio est actus supra naturam intellectus creati; ergò virtuti naturali non potest correspondere, sed solum supernaturali, quia mensura actionis sumenda est à mensura virtutis activæ; ideoque à majore intellectûs naturali perfectione inæqualitas divinæ visionis haud proficiscitur.

2. At Scotus, Molina, aliique pugnant; ad visionem divinæ essentiæ virtutem intellectûs creati, & lumen gloriæ veluti duas causas ita concurrere, ut inæqualitas visionis ex utriusque sumatur inæqualitate: quia beatitudo formalis, inquiunt, est operatio vitalis ipsius Beati: ideoque studiosus Bibliorum, qui ob eorum scientiam intellectu clariore præditus est, æquali adjutus lumine gloriæ ac rusticus, melius divinam essentiam intuetur.

3. Juxta posteriorem sententiam difficilè captu est, quanto clariore Dei visione perfruatur Gregorius, cum prope incredibili intellectûs perfectione ob diligentissimam, & assiduam Bibliorum lectionem, meditationemque fuerit ab omnibus commendatus. At non minus perfecta Dei visione donandus est juxta priorem, magisque probabilem sententiam. Siquidem lumen gloriæ meritis respondet: merita verò Lopesii sublimem visa sunt gradum attigisse: ut antea demonstravimus.

QUÆSTIO CVIII.

An Studiosus hujusmodi ita Deum in Patria intueatur, ut in eo, quidquid Biblia continent, clarius intelligat?

1. IMprimis notandum, quod Beati in Patria non modo quæ in Bibliis viventes cognoverunt, sed etiam quæ fide crediderunt, clare intelligunt; ut docet Augustinus *lib.* 20. *de Civ. Dei cap.* 21. & S. Gregorius *moral. cap. ult.* his verbis. *Quæ visio nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quando coæternam Deo Sapientiam, quam modo per ora prædicantium quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso fonte biberimus.* Cum autem quæ seminavit homo, hæc & metet, con-

veniens est, quod studiosus Bibliorum, qui in vita intellectûs misera seminavit laboriosior, in vita intellectûs beata messurus sit copiosior.

2. Cum Lopesius excellenti fuerit ingenio, summaque Bibliorum doctrina, quam per assiduos labores, vigiliasque, Deo imprimis opitulante, comparavit, aptari ei maxime videtur elogium D. Cypriano inscriptum:

Si quid Sacrarum rerum te forte latebat,
In Libro vitæ nunc, Cypriane, legis.

QUÆSTIO CIX.

An studiosus videat in Verbo aliqua speciatim, quæ ad rationem sui status maximè pertinent?

1. BEatos videre in Verbo præcipuè quæ ad eorum statum, dum in vivis essent, pertinent, communis est Theologorum sententia; & habetur ex Concilio Senonensi *in decretis fidei cap.* 13. *Beatis pervium est uniforme illud Divinitatis speculum, in quo quidquid illorum interfit, illucescat.* Idcirco quorum curam, aut ministerium in terris habuerunt, necessitates peculiariter agnoscunt in Cælo, preces excipiunt. Ad beatum itaque studioli Bibliorum statum pertinet cognitio divinorum: quia cum sedulo in Bibliis contenta, & ab Ecclesia tradita investigaverit; nemo non videt, quod operæ ac labori reponatur corona, specialis Divinorum cognitio.

2. Ut ad Lopesium nostrum modo dicta referantur; cum tota ratio ejus vitæ fuerit Bibliorum lectio contemplatioque sublimis; charitatis in Deum & proximum purus, & assiduus actus; pro universalis Ecclesiæ bono, atque incremento perpetuum orandi exercitium, ut supra ostendimus: profecto summam scripturarum cognitionem, peculiarem divinæ essentiæ fruitionem, nostri & Ecclesiæ universæ curam & patrocinium tamquam propriam sui status mercedem jure quodam suo in Cælis vindicat.

QUÆ-

Quæstio CX.

An conjungens Sanctitatem studio Bibliorum corporibus suavius redolentibus sint Resurrecturi?

1. Glorioſa corpora ſuaviſſimum odorem ſpiratura communiter docent Patres. S. enim Anſelmus *lib. de ſimilitud. cap.* 57. cum dixiſſet totos Beatos inenarrabili ſuavitatis abundantia eſſe replendos, addit; *quid dixi totos? oculi, aures, nares, manus &c. mirabili delectationis & dulcedinis ſenſu replebuntur*. Narium autem delectatio in odore conſiſtit: odora ergò fore glorioſa corpora certiſſimum eſt. Nam licèt cæleſti loco mira odoramentorum ſuavitas tribui debeat: inquit enim S. Petrus Damianus *epiſt.* 3. *Illic odoris ſuavitas cunctas excedit vires aromatum omnem ſuperat fragrantiam pigmentorum*: attamèn ipſis corporibus non eſt deneganda in præmium virtutum, quas animæ cum corporibus, & in ipſa corpora exercuerunt: quemadmodum corpora damnatorum teterrimum fætorem emiſſura fore in ſupplicium, & pœnam delictorum myſterio declarat Iſaias 34. 3. *Interfecti eorum projicientur, & de cadaveribus eorum aſcendet fætor*. Cum autem ipſorum inter beatorum corpora odoris differentia futura ſit, ut majori Sanctitatis, virtutumque ſuavitate fragrarunt; Certè beata ſtudioſorum corpora ſpecialiùs redolentia fore, colligitur ex *cap.* 7. *Sapien. v.* 25. Ubi roganti *quid eſt Spaientia?* Reſpondetur. *Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera*.

2. De odoris fragrantia, quæ ex cadavere, & veſtibus defuncti Gregorii emanans, eos qui aderant omnes affecit, teſtimonium attulimus Epiſcopi Tlaxcalenſis *qq.* 56. & 69. *hujus Synopſ.* Huic depoſitio cohæret Doctoris Petri de Hortigioſa, *qui fol. proc.* 54. relat. ab Auct. *hujus Operis q.* 106. Hæc habet: *Poſtquam ſepultus fuit Servus Dei in Eccleſia oppidi de S. Fide, venit viſitare Franciſcum Loſſa.... qui oſtendit ei veſtes, & aliqua, quibus Servus Dei utebatur, quæ odorem mirabilem, & magni ſolatii efflabant. Et hic Teſtis, & aliæ Perſonæ devotæ Viri Sancti petierunt, & datæ ſunt eis aliquæ partes ejus veſtis*. Idem teſtantur Alcazar, & Joannes

nes de Aguirre relat. ab Auct. *hujus Operis q.* 110. Idem quoque teſtantur d. Franciſcus Loſſa, & Chriſtophorus de Anaja relat. ab eodem Auct. *q.* 111. Redivivi autem corporis fragrantia qualis & quanta futura ſit, utinam nos ipſi teſtes, & participes inveniamur.

QUÆSTIO CXI.

An Bibliorum Studioſi corporibus reſurrecturi ſint lucidioribus?

1. CORpora Beatorum claritate, cum reſurgent, fore donanda *Sapientiæ* 3. legimus: *fulgebunt juſti, & quaſi ſcintillæ in arundineto.* Et *Matth.* 13. *fulgebunt juſti ſicut ſol in Regno Patris.* Et *ad Philip.* 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corperi claritatis ſuæ.* Duplex autem corporum claritas erit Beatorum, intrinſecus ſcilicet, & extrinſecus, ut dicitur in libro *de cognit. veræ vitæ cap.* 45. inter Opera S. Auguſt. *tom.* 9. Et *lib.* 18. *Moral.* S. Gregorii *cap.* 31. adeoque *erit tota corporis ſubſtantia oculis viſibilis, ut viſcerum, ceterorumque membrorum harmonia Conditoris declaret Magiſterium admirandum.*

2. Utraque beati corporis claritate, & quidem eo majori reſurgent Bibliorum ſtudioſi, quo magis Sanctitati ſtudium conjunxerint, ut *Danielis* 12. habetur: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

3. De Lopeſii adhuc defuncti corpore teſtatur dictus Fr. Chriſtophorus de Anaja *fol.* 75. *proceſs. Audita morte Servi Dei, ingreſſus in Eccleſiam Oppidi de S. Fide, vidiſſe in pheretro, & variis floribus ornatum corpus, ita compoſitum & pulchrum facie, ut raptus admiratione, in laudem Dei, & Servi ſui prorupit .... & quod plus eum in admiratione adduxit, fuit videre oculos ejus tamquam viventis.* Et Socius *fol.* 41. *proc.* deponit: *Servus Dei dedit animam Deo Sabatho meridie* 20. *Jul. ann.* 1596. *Manſit corpus ejus inſtar viventis: &, ut omnes quotquot aderant judicarunt, reſplendens.* Ita deponunt etiam P. Ferdinandus Cararſco, & Pater Petrus Sarmiento de Vado. Qua ergo cenſemus claritate ſurrecturum aliquandò glorioſum, ſi tantam præſetulit corruptile reſurgentis imaginem?

QUÆ-

QUÆSTIO CXII.

An conjungens à pueritia Sanctitatem ſtudio Bibliorum perveniat ut Aureola triplici donetur?

1. AUreola *auream coronam* ſignificat, eſtque accidentale Beatorum præmium, & dividitur in Aureolam *Martirii* quæ datur iis, qui proprio Sanguine Mundum vincunt, juxta illud *Apoc.* 2. *Ecce miſſurus eſt Diabolus ex vobis in carcerem, ut tentemini. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* In Aureolam *Virginitatis* quæ carnem debellantibus proponitur, juxta illud *Apoc. Habent nomen agni, & nomen Patris ejus Scriptum in frontibus ſuis.* Denique in Aureolam *Doctoratus*, quæ promittitur referentibus à Diabolo victoriam, & oves Chriſti tuentibus doctrina Scripturarum, verbo, & exemplo, juxta illud *Apoſtol.* 2. *Timoth.* 4. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona.* His cognitis, facilè intelligitur ſtudioſum Bibliorum diſponi ut triplici Aureola donetur. Quia divinorum lectione fortior ad Martyrium ſubeundum efficitur ob ſpem præmii ibidem promiſſi, & ob exempla conſtantium Heroum. Aptior redditur ad motus carnis comprimendos; ut inquit Hieronymus *Epiſt. ad Ruſticum. Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Demum opportunior fit ad docendum, ut patet ex *ſupradictis*.

2. Triplici Aureola Ven. Lopeſium coronari piè credimus in Patria Beatorum. Nam cum toto vitæ ſuæ curſu Mundum vicerit nec ſecundis rebus illectus, nec adverſis turbatus: cum ſenſus ſuos abſtinentia, maceratione, vigiliis ſubegerit rationi: cum denique ad juſtitiam erudierit plurimos, ſenſus difficillimos Scripturarum mira claritate, brevitate, veritate expoſuerit, ut in ſuperioribus oſtendimus, jure quidem meritò Martyr, Virgo, Doctor coronatur.

QUÆ-

QUÆSTIO CXIII.

Quibus Documentis instituí debeat studiosus Bibliorum, ut eorum scientiam assequatur: & scientiæ sanctitatem conjungat?

PErmulta ex hisce documentis, sparsim tradita in suo Opere colligit Auctor postrema quæstione.

I. Principio autem monet: Studiosum Bibliorum oportere, ut agnoscat a Deo esse creatum, ratione donatum, adeoque ad æternam beatitudinem ordinatum, ad quam capessendam planum iter Biblia demonstrant.

II. Oportet ut conatum & laborem impendat: nam licet *Sap.* 11. scriptum sit: *Ubi humilitas ibi sapientia*; hæc tamen non oscitantibus datur, sed laborantibus; Cum & ipsi summi Viri ita se gesserint, ut eam acquirerent, & ad sanctitate pervenirent; proindeque sui, & proximorum ædificatoriam vitam instituerent.

III. Ut Lectioni, laborique orationem præmittat exemplo Sanctorum Patrum, aliorumque illustrium virorum: & opem a Sanctissima Virgine enixis votis expostulet.

IV. Ut magna charitate, cultuque se gerat in Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, illoque sæpius in puritate conscientiæ reficiatur.

V. Ut viro perdocto, experto, pioque se tradat in disciplinam, præsertim si sit adolescens, ut monet Salomon *Prov.* 10. *Audi Consilium & suscipe Disciplinam, ut sis sapiens in novissimis diebus.*

VI. Ut Magistros eligat sapientiores: exemplo D. Hieronymi.

VII. Ut sese in Dei præsentia constituat; sicut præcepit Abrahamo Deus: *Ambula coram me, & esto perfectus.*

VIII. Ut Urbanus ergà Socios sit: quemadmodum dicit Apostolus *Rom.* 12. 10. *Honore invicem pervenientes.*

IX. Ut amicum eligat qui studio, & virtute seu pietate ceteris antecellat: *Eccl.* 14. *Melius est duos esse simul, quam unum; habent enim emolumentum Societatis suæ.*

X. Ut si Collegium adire possit, adeat, in quo virtute, pietate, ac studio præstantiores consulat socios, ne cum malis malum contrahat.

XI. Ut

XI. Ut ſurgat diluculo; *Qui mane vigilant ad me, invenient me. Prov.* 8. 17.

XII. Ut verecundus ſit, tacitus, obediens, ſicut monet D. Bernardus *de ordin. vit.*

XIII. Ut otium tollat: aſſiduamque Bibliis det operam, ut inter cæteros docet S. Baſilius *ſerm. de Inſt. Monach.*

XIV. Ut a vitiis declinet: virtutibus adhæreat. *Nam ſicut ignis in lignis viridibus ſuffocatur, ita ſapientia in adoleſcentia tentationibus & libidine impedita non explicat ſuum fulgorem*, (S. Hieronymus *Epiſt. ad Nepotian.*) Ideoque ſtudioſus *prius detergere, & abluere vivendi diſciplina animam debet, & ad Sanctos accedere cum Sanctorum ſimilitudine*. (S. Athanaſius *de Incarn. Verb.*)

XV. Ut ordine utatur, atque utilioribus ad ſalutem animæ prius incumbat. (S. Bernardus *ſerm.* 36. *in Cant.*)

XVI. Ut modum ſciendi inſpiciat: ſcilicet quo ordine, quo ſtudio, quo fine Bibliis det operam, ut ibidem docet Sanctus Bernardus.

XVII. Ut caveat, ne, dum ſcientiam acquirit, ſciendi meritum perdat, imò detrimentum capiat: quod ſolet ex prava finis intentione proficiſci.

FINIS.

XI. De fugæ dilectio; & quæ vitare oporteat, breviter.
Prov. 8. 17.

XII. De vera & falsa; recta, obliqua, licet modice D. Bernardi de eodem vide.

XIII. De ordine regulari: & Exemplo Fidelis der operam, ut in-
ter curæ deest S. Basilius Ferr. de Inf. Hebræ.

XIV. De a vitiis declinet: virtutibus adhæret. Nov. Test. Spiri-
to Legi solitum differam, & de Scriptoris in adolescen-
tia remittendo & studio Scripturæ non explicat. Hæc
Hebræum, (Schlarorius Prof. ad Nepotian.) Utopus
Thomas Mori dicitur, & de adhuc studio Scripturæ
ordinem redit. Of ad Sanctis exercitio cum Sanctorum
Scriptis Hier. (S. Athanasius de Incarn. Verb.)

XV. De ordine curæ, atque pedibus ad Salutem animæ prius
incumbat. (S. Bernardus Ferm. 26. in Cant.)

XVI. De modus Scientiæ quærat: Scilicet quo ordine, quo
studio, quo fine Divini dei operam, ut Scientiam detur San-
ctus Bernardus.

XVII. De cavet, ne, dum Scientiam acquirit, Scientiæ in-
flatæ pectus, imo detrimentum capiat: quod fiat ex
prava Scientiæ intentione præcipue.

FINIS.

Pag.	Liv.	Errata	Corrige
3.	15.	habere	haberi
12.	12.	Cantico	Canticum
22.	19.	cavere	carere
31.	35.	versatus	scientiam
56.	23.	vultus	vultu
65.	23.	proximus	proximis
82.	10.	eorumdem	earumdem
119.	3.	conjungens	conjungentes
122.	15.	sanctitate	sanctitatem